This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

**Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

**About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

# SUMMARIA EXPOSITIO DOCTRINÆ NOVÆ ECCLESIÆ,

QUÆ

PER NOVAM HIEROSOLYMAM

IN APOCALYPSI

INTELLIGITUR;

AB

EMANUELE SWEDENBORG,

SUECO.

AMSTELODAMI,

MDCCLXIX.

Bt. from Higham

1467 d. 28

# SUMMARIA EXPOSITIO

# DOCTRINÆ

# NOVÆ ECCLESIÆ,

QUÆ

PER NOVAM HIEROSOLYMAM

IN APOCALYPSI

INTELLIGITUR;

AB

EMANUELE SWEDENBORG,

*SUECO.*

*AMSTELODAMI,*

MDCCLXIX.

## APOCALYPS. Cap. XXI: vers. 2. 5.

Ego Johannes vidi Urbem Sanctam Hieroſolymam Novam, deſcendentem a Deo e Cælo, paratam ſicut Sponſam ornatam Marito ſuo. Et dixit Sedens ſuper Throno; ecce Nova omnia facio: & dixit mihi, ſcribe, quia hæc verba vera & fida ſunt.

BODLEIAN LIBRARY
4
JUN
1925
OXFORD

# SUMMARIA EXPOSITIO

# DOCTRINÆ NOVÆ ECCLESIÆ

## QUÆ

## PER NOVAM HIEROSOLYMAM IN APOCALYPSI INTELLIGITUR.

1. POſtquam aliqua Opera & Opuſcula de Nova Hierosolyma, per quam intelligitur Nova Eccleſia a Domino inſtauranda, intra aliquot annos a me promulgata ſunt, & poſtquam Apocalypſis revelata eſt, in animum induxi Doctrinam illius Eccleſiæ in ſua plenitudine, ita integram, in lucem edere: ſed quia hoc aliquot annorum opus eſt, conſultum duxi aliquam Sciagraphiam ejus emittere, propter cauſam, ut communis idea de illa Eccleſia & ejus Doctrina primum concipiatur; quoniam dum communia præcedunt, poſtea omnia & ſingula in ſua latitudine exſtantia in luce apparent, hæc enim in communia intrant, ſicut homogenea in ſua receptacula. Attamen Breviarium hoc non ſubjicitur judiciis ventilandum, ſed modo communicatur ad notitiam, quia hujus Contenta in ipſo Opere plene demonſtrabuntur. Sed præmittenda ſunt Doctrinalia hodierna de Juſtificatione, propter ſequentia de Diſcordantiis dogmatum Eccleſiæ hodiernæ & Eccleſiæ novæ.

## DOCTRINALIA ROMANO-CATHOLICORUM DE JUSTIFICATIONE, EX SYNODO TRIDENTINA.

2. In Bulla a Pio IVto Romano Pontifice, Anno 1564, id: Novemb: data, leguntur hæc: Omnia & ſingula, quæ de Peccato Originali, & de

Justificatione, in SS: Tridentina Synodo definita & declarata fuerunt, amplector & recipio.

3. Ex Synodo Tridentina, de Peccato originali. (a) Quod totus Adam per suæ prævaricationis offensam secundum corpus & animam in deterius commutatus fuerit; & quod Adæ prævaricatio non illi solum nocuerit, sed etiam ejus propagini; & quod illa non modo mortem & pœnas corporis in omne genus humanum transfuderit, sed etiam peccatum, quod est mors animæ, Sess. V: 1. 2. (b) Quod hoc Adæ peccatum, quod origine unum est, ac propagatione non imitatione transfusum, insit unicuique proprium, & quod non per aliud remedium possit tolli, quam per Meritum unius Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, Qui nos Deo reconciliavit in sanguine suo, factus nobis Justitia, Sanctificatio, & Redemptio, Sess. V: 3. (c) Quod omnes homines in prævaricatione Adæ innocentiam perdiderint, & facti sint immundi, & natura filii iræ, Sess. VI: Cap. I.

4 De Justificatione. (a) Quod Cœlestis Pater, Pater misericordiarum, Christum Jesum, Filium suum, cum venit beata plenitudo temporis, ad homines miserit, ut & ad Judæos, qui sub lege erant, & ad Gentes, quæ non sectabantur justitiam, justitiam apprehenderent, atque omnes adoptionem filiorum reciperent. Hunc proposuit Deus Propitiatorem per fidem in sanguine Ipsius pro peccatis, non solum pro nostris, sed etiam pro totius Mundi, Sess. VI: Cap. 2. (b) Non tamen omnes mortis Ipsius beneficium recipiunt, sed ii duntaxat, quibus Meritum passionis Ipsius communicatur; ita nisi in Christo renascantur, nusquam justificarentur, Sess. VI: Cap. 3. (c) Quod Justificationis principium a Dei per Christum Jesum præveniente gratia, hoc est, ab ejus vocatione sumendum sit, Sess. VI: Cap. 5. (c) Quod homines disponantur ad justitiam, dum excitati Divina gratia, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse, quæ Divinitus revelata & promissa sunt; atque illud imprimis, a Deo justificari impium per gratiam Ejus, per Redemptionem, quæ est Christo Jesu, & dum peccatores se intelligentes a Divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, Sess. VI: Cap. 6. (d) Quod hanc dispositionem & præparationem Justificatio ipsa consequatur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio & renovatio interioris hominis per susceptionem gratiæ & donorum, unde homo ex injusto fit justus, & ex inimico amicus, ut sit hæres secundum spem vitæ æternæ, Sess. VI: Cap. 7. (e) Justificationis *Causa finalis* est gloria Dei & Christi, ac vita æterna. *Causa efficiens* est Deus, qui gratuito abluit & sanctificat. *Causa meritoria* est Dilectissimus Unigenitus Dei Dominus noster Jesus Christus, qui cum essemus inimici, propter nimiam Charitatem, qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis, nobis justificationem meruit, & pro nobis Deo Patri satisfecit. *Causa instrumentalis* est Sacramentum baptismi, quod est sacramentum fidei, sine qua nulli usquam contigit justificatio. *Causa formalis* unica est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, qua videlicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostræ;

ſtræ; & non modo reputamur juſti, ſed vere juſti nominamur & ſumus, quiſque ſecundum ſuam menſuram, quam Spiritus Sanctus partitur ſingulis prout vult, Seſſ. VI: Cap. 7. §. 2. (f) Quod Juſtificatio ſit tranſlatio ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur filius primi Adæ, in ſtatum gratiæ, & adoptionem filiorum Dei per Secundum Adam Salvatorem noſtrum Jeſum Chriſtum, Seſſ. VI: Cap. 4.

5. De Fide, Charitate, Bonis Operibus, et Meritis. (a) Cum Apoſtolus dicit, juſtificari hominem per fidem & gratis, ea verba in eo ſenſu intelligenda ſunt, quem perpetuus Eccleſiæ Catholicæ conſenſus tenuit & expreſſit, ut ſcilicet per fidem juſtificari dicamur, quia Fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum & radix omnis juſtificationis, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, & ad filiorum ejus conſortium pervenire: gratis autem juſtificari dicimur, quia nihil eorum, quæ juſtificationem præcedunt, ſive fides ſive opera, ipſam juſtificationis gratiam promerentur; ſi enim gratia eſt, non eſt ex operibus, nec gratia foret gratia, Seſſ. VI: Cap. 8. (b) Quamquam nemo poteſt juſtus eſſe, niſi cui Merita paſſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti communicantur, id tamen in Juſtificatione fit, dum ejusdem ſanctiſſimæ paſſionis Merito per Spiritum Sanctum charitas Dei infunditur in cordibus eorum qui juſtificantur, atque ipſis inhæret: unde in ipſa Juſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Jeſum Chriſtum, cui inſeritur per fidem, ſpem & charitatem: nam fides, niſi ad eam accedat charitas, neque unit perfecte cum Chriſto, neque corporis ejus vivum membrum efficit, Seſſ. VI: Cap. 7. §. 3. (c) Quod Chriſtus non modo ſit Redemptor Cui fidant, ſed etiam Legiſlator Cui obediant, Seſſ. VI: Cap. 16. Can. 21. (d) Quod Fides ſine operibus mortua & otioſa ſit, quia & in Chriſto Jeſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides quæ per charitatem operatur: fides enim ſine ſpe & charitate vitam æternam non præſtare poteſt; unde & ſtatim Verbum Chriſti audiunt, ſi vis ad vitam ingredi ſerva mandata: itaque veram & Chriſtianam juſtitiam accipientes, eam ceu primam ſtolam, pro illa quam Adam ſua inobedientia ſibi & nobis perdidit, per Chriſtum Jeſum illis donatam candidam & immaculatam jubentur ſtatim renati conſervare, ut eam præferant ante tribunal Domini noſtri Jeſu Chriſti, & habeant vitam æternam, Seſſ. VI: Cap. 7. §. 4. (e) Quod Ipſe Chriſtus Jeſus tanquam Caput in membra, & tanquam Vitis in palmites, in ipſos juſtificatos jugiter virtute influat; quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, & comitatur, & ſubſequitur, & ſine qua nullo pacto Deo grata & meritoria eſſe poſſent; quare nihil ipſis juſtificatis amplius deeſſe credendum eſt, quo minus plene illis quidem operibus, quæ in Deo facta ſunt, vitam æternam ſuo etiam tempore conſequendam promeruiſſe cenſeantur. Seſſ. VI: Cap. 16. (f) Non propria noſtra juſtitia, tanquam ex nobis propria, ſtatuitur; quæ enim juſtitia noſtra dicitur, illa enim Dei eſt, quia a Deo nobis infunditur per Chriſti meritum: abſit ergo ut Chriſtianus homo in ſeipſo vel confidat vel glorietur, & non in Domino, Cujus tanta erga nos homines bonitas, ut eorum velit eſſe merita quæ ſunt Ipſius dona, Seſſ. VI: Cap. 16.

(g) Quia ex nobis tanquam ex nobis nihil poſſumus, Eo coopeante, qui nos confortat, omnia poſſumus: ita non habet homo unde glorietur, ſed omnis gloria noſtra in Chriſto eſt, in quo vivimus, in quo meremur, in quo ſatisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentia, qui ab Illo vim habent, ab Illo offeruntur Patri, & per Illum acceptantur a Patre, Seſſ. XIV: Cap. 8. (h) Si quis dixerit hominem ſuis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vires, vel per legis doctrinam fiunt, abſque Divina per Chriſtum Jeſum gratia poſſe juſtificari coram Deo, anathema ſit, Seſſ. VI: Can. 1. (i) Si quis dixerit ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, ſperare & diligere (hoc eſt, fidem, ſpem & charitatem habere) ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit, Seſſ VI: Can. 2. (k) Si quis dixerit hominem ſine Chriſti juſtitia, per quam nobis meruit, juſtificari, anathema ſit, Seſſ. VI: Can. 10. præter plura, imprimis de conjunctione fidei & charitatis ſeu bonorum operum, & de damnatione ſeparationis illorum.

6. De Libero Arbitrio. (a) Quod Liberum Arbitrium per Adæ peccatum minime exſtinctum ſit, viribus licet attenuatum & inclinatum, Seſſ. VI: Cap. 1. (b) Si quis dixerit, Liberum hominis arbitrium a Deo motum & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat ac præparet, nec poſſe diſſentire ſi velit, ſed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque paſſive ſe habere, anathema ſit, Seſſ. VI: Can. 4.

7. Doctrinalia Romano-Catholicorum de Juſtificatione, collecta ex decretis Synodi Tridentinæ, in Summa et ſerie ſunt talia. Quod peccatum Adami transfuſum ſit in totum Genus humanum ex quo ſtatus ejus, & ab illo omnium hominum, perverſus factus eſt, & abalienatus a Deo, & ſic facti ſunt inimici & filii iræ: quod ideo Deus Pater ex gratia miſerit Filium ſuum ut reconciliaret, expiaret, propitiaret, ſatisfaceret, & ſic redimeret, & hæc per quod fieret Juſtitia. Quod Chriſtus hoc peregerit & impleverit, per quod obtulerit Se Deo Patri Sacrificium ſuper ligno crucis, ita per ſuam paſſionem & ſuum ſanguinem. Quod Chriſtus Solus meruerit, & quod hoc Ipſius Meritum a Deo Patre per Spiritum Sanctum, ex gratia, homini recipienti imputetur, tribuatur, applicetur, & in illum transferatur; & quod ab homine ſic removeatur peccatum Adami, remanente uſque concupiſcentia ut fomite ad peccandum. Quod Juſtificatio ſit remiſſio peccatorum, & quod inde fiat innovatio interioris hominis, unde homo ab inimico fit amicus, & a filio iræ filius gratiæ: & quod ſic fiat unio cum Chriſto, & renatus membrum vivum in Corpore Ipſius.

8. Quod fides ſit ex auditu, cum credit vera eſſe quæ Divinitus revelata ſunt, & credit promiſſis Dei. Quod Fides ſit humanæ ſalutis initium, fundamentum & radix omnis juſtificationis, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, & in filiorum ejus conſortium venire: quod Juſtificatio fiat per fidem, ſpem & charitatem, & quod fides niſi ad illam accedant ſpes & charitas, non ſit viva ſed mortua, quæ non unit cum Chriſto. Quod homo cooperari debeat

quod

quod accedere & recedere possit, alioquin nihil ei posset donari, quia foret sicut inanimatum corpus. Quod quia receptio justificationis innovat hominem, & hoc fit per applicationem meriti Christi in illum, cooperante homine, sequatur quod opera promereantur; sed quia fiunt ex gratia, & per Spiritum Sanctum, & quia Solus Christus meruit, Deus faciat dona sua apud hominem merita; unde consequitur, quod nemo possit sibi aliquid meriti attribuere.

## DOCTRINALIA PROTESTANTIUM DE JUSTIFICATIONE, EX FORMULA CONCORDIÆ.

9. Hic Liber ex quo sequentia sunt collecta, vocatur FORMULA CONCORDIÆ, a Viris Augustanæ Confessioni addictis conscriptus; & quia ex illo citabuntur paginæ, ubi afferenda legantur, Editionem Lipsiæ Anno 1756 excusam; pro indice assumsimus.

20. EX FORMULA CONCORDIÆ, DE PECCATO ORIGINALI. (a) Quod post lapsum Adami omnes homines secundum naturam propagati nascantur ab illo cum peccato, quod damnat & mortem æternam affert illis qui non renascuntur, & quod Meritum Christi sit unicum medium per quod renascuntur, ita unicum remedium quo sanantur, pag. 9. 10, 52, 53, 55, 317, 641, 644, & Appendix p. 138, 139. (b) Quod peccatum originis sit tam profundæ naturæ corruptio, ut nihil spiritualiter sanum sit in corpore & anima hominis, inque viribus ejus, p. 574. (c) Quod sit scaturigo omnium actualium peccatorum, p. 317, 577, 639, 640, 942, Append. p. 139. (d) Quod sit totalis carentia seu privatio imaginis Dei, p. 640. (e) Quod discrimen tenendum sit inter naturam nostram qualis a Deo creata est, & inter peccatum originis quod in natura habitat, p. 645. (f). Præterea Peccatum originis vocatur ibi diabóli opus, spirituale venenum, radix omnium malorum, accidens & qualitas; ac Natura ibi vocatur Dei opus & creatura, hominis persona, substantia & essentia, ac quod sit distinctio sicut inter hominem morbo infectum & inter ipsum morbum.

21. DE JUSTIFICATIONE PER FIDEM. COMMUNIA sunt hæc: (a) Quod per Verbum & Sacramenta donetur Spiritus Sanctus, qui fidem efficit ubi & quando visum est, in iis qui Evangelium audiunt. (b) Quod consequantur ordine, Contritio, Justificatio per fidem, Innovatio, & bona Opera; quod illa probè distinguenda sint; & quod contritio & bona opera nihil ad salutem conferant, sed sola fides. (c) Quod Justificatio per solam fidem sit remissio peccatorum, absolutio a damnatione, reconciliatio Patris, adoptio in filios, & quod hoc fiat per imputationem meriti seu justitiæ Christi. (d) Quod inde fides sit ipsa illa justitia, qua coram Deo justi reputamur, & quod sit fiducia in gratiam & confidentia. (e) Quod Renovatio quæ sequitur, sit vivificatio, regeneratio & sanctificatio. (f) Quod Renovationem illam sequantur bona opera, quæ sunt fructus fidei, in se opera Spiritus. (g) Quod fides illa per gravia

gravia mala amittatur. COMMUNIA DE LEGE ET EVANGELIO sunt hæc: (h) Quod probe distinguendum sit inter Legem & Evangelium, ac inter opera Legis & opera Spiritus, quæ sunt Fructus fidei. (i) Quod Lex sit doctrina, quæ ostendit, quod homo in peccatis sit, & sic in damnatione, & in ira Dei, quæ inde perterrefacit, & quod Evangelium sit doctrina de Expiatione peccatorum & damnationis per Christum, & sic consolationis. (k) Quod tres usus Legis sint, impios coercere, homines ad agnitionem peccatorum adducere, ac docere renatos vitæ regulas. (l) Quod Renati in lege sint, non autem sub lege, sed sub gratia. (m) Quod Renati se in Lege exercere debeant, quia quamdiu in Mundo vivunt, a carne irritantur ad peccandum, et quod post mortem puri & perfecti fiant. (n) Quod Renati etiam arguantur a Spiritu Sancto, & quod luctentur vario modo, sed tamen quod faciant Legem sponte, & quod sic filii Dei in Lege vivant. (o) Quod apud non renatos velamen Mosis adhuc ante oculos maneat, & quod vetus Adam dominetur, sed quod apud Renatos velamen Mosis ablatum sit, & quod vetus Adam mortificatus.

12. DE JUSTIFICATIONE PER FIDEM ABSQUE OPERIBUS LEGIS, PARTICULARIA EX FORMULA CONCORDIÆ. (a) Quod fides imputetur ad justitiam sine operibus, propter Meritum Christi quod fides apprehendit, p. 78. 79, 80, 584, 689. (b) Quod charitas Fidem, quæ justificat, sequatur, sed quod Fides non justificet, quatenus a charitate, ut Pontificii loquuntur, formata est, p. 81. 89, 94, 117, 688, 691, App. 169. (c) Quod non præcedens contritio, nec sequens renovatio & sanctificatio, neque bona opera tunc, ad negotium justitiæ fidei pertineant, p. 688, 689. (d) Quod stultum sit somniare, quod Opera Secundæ Tabulæ Decalogi coram Deo justificent, per illam enim agimus cum hominibus, non proprie cum Deo, & in justificatione agendum est cum Deo, & placanda ejus ira, p. 102. (e) Si quis credit se ideo consequi remissionem peccatorum, quia charitatem habet, afficit contumelia Christum, quia est fiducia propriæ justitiæ impia & inanis, p. 87, 89. (f) Quod bona Opera prorsus excludenda sint, dum de justificatione & vita æterna agitur, p. 589. (g) Quod bona opera non sint necessaria ut causa meritoria salutis, & quod actum justificationis non ingrediantur, p. 589, 590, 702, 704. App. p. 173. (h) Quod rejicienda sit positio, quod bona opera necessaria sint ad salutem, quia hoc eripit consolationem Evangelii, occasionem præbet dubitationi de Dei gratia, affert opinionem de propria justitia, & quia acceptantur a Papistis ad malam causam fulciendam, p. 704. (i) Rejicitur & damnatur phrasis, quod bona opera necessaria sint ad salutem, p. 591. (k) Quod Phrases de bonis Operibus ad salutem necessariis non docendæ & defendendæ sint, sed potius ab Ecclesiis ut falsæ explodendæ & rejiciendæ, p. 705. (l) Quod Opera, quæ non a vera fide proficiscuntur, revera coram Deo sint peccata, hoc est, peccatis contaminata, quoniam mala arbor non potest bonos fructus ferre, p. 700. (m) Quod fides & salus non conserventur nec retineantur per bona opera, quia sunt modo testimonia, quod Spiritus Sanctus præsens sit, & in nobis habitet, p. 590, 705. App. p. 174.

p. 174. (n) Quod merito rejiciendum sit Tridentinæ Synodi decretum, quod bona opera salutem conservent, aut quod apprehensa fidei justitia, aut ipsa fides per nostra opera vel toto vel saltem in parte retineatur & conservetur, p. 707.

13. De Fructibus Fidei, Particularia ex Formula Concordiæ. (a) Quod discrimen inter Opera Legis, & inter Opera Spiritus, observandum sit; & quod Opera, quæ Renatus libero & prompto Spiritu agit, non sint opera Legis, sed opera Spiritus, qui sunt fructus fidei; quia Renati non sub lege sunt, sed sub gratia, p. 589, 590, 721, 722. (b) Quod bona opera sint fructus pœnitentiæ, p. 12. (c) Quod Renati per fidem accipiant novam vitam, novos affectus, & nova opera, & quod hæc sint ex fide in pœnitentia, p. 134. (d) Quod homo post conversionem & justificationem incipiat renovari mente, & demum intellectu, & quod tunc ejus voluntas in quotidianis pœnitentiæ exercitiis non sit otiosa, p. 582, 673, 700. (e) Quod tam ob peccatum originale, quam ob peccata actualia pœnitentia agenda sit, p. 321. App. p. 159. (f) Quod pœnitentia in Christianis duret usque ad mortem, quia luctantur cum peccato residuo in carne per totam vitam, p. 327. (g) Quod oporteat Legem decalogi in nobis inchoari, ac magis & magis fieri, p. 85, 86. (h) Quod Renati tametsi a maledictione legis liberati sunt, usque tamen in Lege Divina se exercere debeant, p. 718. (i) Quod Renati non sine lege sint, & tamen non sub lege, nam secundum legem Domini vivunt, p. 722. (k) Quod Lex renatis debeat esse norma religionis, p. 596, 717. App. p. 156. (l) Quod Renati faciant bona opera non coacte sed sponte & libere, quasi nullum præceptum accepissent, nullas minas audivissent, & nullam remunerationem exspectavissent, p. 596. 701. (m) Quod apud hos fides in agendo semper occupata sit, & qui ita bona non operatur, vera fide careat, nam ubi fides ibi bona opera, p. 701. (n) Quod charitas & boni fructus sequantur fidem & regenerationem, p. 121, 122, 171, 188, 691. (o) Bene conveniunt & sunt connexa inseparabiliter fides & opera, sed sola fides apprehendit benedictionem sine operibus, & tamen non est sola; inde est quod fides sine operibus sit mortua, p. 692, 693. (p) Quod postquam homo per fidem est justificatus, vera illa & viva fides per charitatem sit efficax, nam bona opera fidem justificantem semper sequuntur, & una cum illa certissime deprehenduntur; fides enim nunquam sola est, quin charitatem & spem secum habeat, p. 586. (q) Fatemur, quod ubi non sequuntur bona opera, ibi fides falsa & non vera sit, p. 336. (r) Quod impossibile sit bona opera a fide separare, sicut non calorem & lucem ab igne, p. 701. (s) Quod quia vetus Adam in ipsa natura semper inhæret, Renati assidua legis admonitione, doctrina, comminationibus, & quoque castigationibus opus habeant, arguuntur enim & corripiuntur per legem a Spiritu Sancto, p. 719, 720, 721. (t) Quod Renati cum vetere Adamo luctaturi sint, & quod pars carnis ab exhortationibus, minis & plagis coercenda sit, quoniam renovatio vitæ per fidem in hac vita modo inchoatur, p. 595, 596, 724. (u) Quod maneat perpetua lucta inter carnem & spiritum in electis & vere renatis, p.

675, 679. (x) Quod Christus annuntiet remissionem peccatorum bonis operibus, est quia sequuntur reconciliationem, tum quia fructus boni necessario sequi debent, & quia sunt signa promissionis, p. 116, 117. (y) Quod fides salvans in illis non sit in quibus non charitas, nam charitas fructus est, qui veram fidem certissime & necessario sequitur, p. 688. (z) Quod bona opera sint necessaria multis modis, sed non ut causa meritoria, p. 11, 17, 64, 95, 133, 589, 590, 702. App. p. 172. (aa) Quod Renatus cum Spiritu Sancto cooperari debeat, ex novis viribus & donis, quæ accepit, sed certo modo, p. 582, 583, 674, 675. App. p. 144. (bb) In Confessione Ecclesiarum Belgicarum, quæ recepta est in Synodo Dodracena, leguntur hæc; „ Non potest sancta fides in homine otiosa esse, est enim fides per charitatem efficax; ac opera, quæ a bona fidei radice proficiscuntur, coram Deo bona & accepta sunt, sicut fructus arboris bonæ; nam ad bona opera obstricti sumus Deo, non autem Deus nobis, siquidem Deus efficit illa apud nos.

14. De Meritis, ex Formula Concordiæ. (a) Quod falsum sit, opera nostra mereri remissionem peccatorum; falsum, homines reputari justos per justitiam rationis; ac falsum, rationem propriis viribus posse supra omnia amare Deum, ac legem Dei facere, p. 64. (b) Quod fides non propterea justificet, quod ipsa tam bonum opus sit, tamque præclara virtus, sed quia in promissione Evangelii Meritum Christi apprehendit, p. 76, 684. (c) Quod promissio remissionis peccatorum & justificationis propter Christum non habeat conditionem meritorum, quia gratis offertur, p. 67. (d) Quod homo peccator coram Deo justificetur seu absolvatur a suis peccatis, & a judicio justissimæ damnationis, & adoptetur in numerum filiorum Dei, sine ullis nostris meritis, & absque ullis præcedentibus, præsentibus, & sequentibus nostris operibus, ex mera gratia, tantummodo propter unicum meritum Christi, quod nobis ad justitiam imputatur, p. 684. (e) Quod fidem, remissionem peccatorum, & regenerationem, sequantur bona opera, & quod in illis pollutum & imperfectum est, pro peccato & defectu non censeatur, idque propter Christum; & quod ita totus homo tam quoad personam quam quoad opera justus & sanctus sit & nominetur, ex mera gratia & misericordia in Christo super nos effusa, expansa & amplificata, quare gloriari ob merita non possumus, p. 74, 92, 93, 836. (f) Qui confidit operibus se mereri, is aspernatur Christi meritum & gratiam, & quærit sine Christo humanis viribus viam ad cælum, p. 16, 17, 18, 19. (g) Si quis bona opera Articulo justificationis vult immiscere, & gratiam Dei iis promereri, tali homini opera non tantum sunt inutilia, sed etiam pernicioſa, p. 708. (h) Enumerantur opera decalogi, & plura quæ facienda sunt, & quæ Deus ornat præmiis, p. 176, 198. (i) Docemus bona opera meritoria esse, non remissionis peccatorum, gratiæ, & justificationis, sed aliorum præmiorum corporalium, ut & spiritualium in hac vita & post hanc vitam, quia Paulus dicit, unusquisque recipiet mercedem secundum laborem, & Christus merces vestra erit multa in cælis, ac sæpius dicitur quod unicuique reddetur secundum opera ejus; quare nos fatemur vitam æternam mercedem esse, quia est res debita

debita propter promiſſionem, & quia Deus coronat ſua dona, ſed non propter noſtra merita, p. 96, 133, 134, 135, 136, 137, 138. (k) Quod bona Opera in credentibus, cum propter veras cauſas fiunt, & ad veros fines referuntur, ſicut Deus ea a Renatis exigit, indicia ſint æternæ ſalutis; & quod Deus Pater illa propter Chriſtum accepta & grata habeat, & præclara illis præmia hujus & futuræ vitæ promittat, p. 703. (l) Quod bona opera licet merentur præmia, tamen neque ex condigno, neque ex congruo remiſſionem peccatorum, aut vitæ æternæ gloriam mereantur, p. 96, 135, 139, ſeq. App. p. 174. (m) Quod Chriſtus in extremo judicio laturus ſit ſententiam de operibus bonis & malis, tanquam effectis propriis & teſtantibus de hominum fide, p. 134 App. p. 187. (n) Quod Deus bona Opera remuneret, ſed quod gratiæ ſit quod coronet ſua dona, IN CONFESS. ECCLESIARUM BELGICARUM.

§5. DE LIBERO ARBITRIO, EX FORMULA CONCORDIÆ. (a) Quod homini ſit plenaria impotentia in rebus ſpiritualibus, p. 15, 18, 219, 318, 579, 656, ſeq. App. p. 141. (b) Quod homo ex lapſu primorum parentum ita prorſus corruptus ſit, ut in rebus ſpiritualibus, quæ converſionem & ſalutem ſpectant, natura cæcus ſit, ac Verbum Dei ut rem ſtultam judicet, & quod inimicus Dei ſit & maneat, donec virtute Spiritus Sancti per Verbum prædicatum & auditum, ex mera gratia, ſine omni ſua propria cooperatione, convertatur, fide donetur, regeneretur & renovetur, p. 656, 657. (c) Quod homo ad bonum prorſus corruptus & mortuus ſit, ita ut in hominis natura poſt lapſum ante regenerationem ne ſcintilla quidem ſpiritualium virium reliqua manſerit aut reſtet, quibus ille ad gratiam Dei præparari, aut oblatam gratiam apprehendere, aut ejus gratiæ ex ſe & per ſe capax eſſe, aut in ſpiritualibus intelligere, credere, amplecti, cogitare, velle, inchoare, perficere, agere, operari, cooperari, aut ſe ad gratiam applicare aut accommodare, aut aliquid ad converſionem, vel toto vel ex dimidia vel ex minima parte, ex ſe ipſo poteſt, p. 656, 658. (d) Quod homo in ſpiritualibus & Divinis rebus, quæ ad animæ ſalutem ſpectant, ſit inſtar ſtatuæ ſalis uxoris Lothi, ac ſimilis trunco & lapidi vita carenti, quæ non oculorum, oris aut ullorum ſenſuum uſum habent p. 661, 662. (e) Quod homo uſque loco motivam potentiam habeat, ſeu externa membra regere, ad cœtus publicos accedere, ac Verbum & Evangelium audire poſſit, attamen quod id tacitis cogitationibus ut rem ſtultam ſpernat; & in hac re deterior eſt trunco, niſi Spiritus Sanctus in illo ſit efficax, p. 662, 671, 672, 673. (f) Quod uſque cum homine in converſione non fiat quaſi dum ſtatua e lapide formatur, aut ſigillum in ceram imprimitur, quæ non notitiam, nec ſenſum, neque voluntatem habent, p. 662, 681. (g) Quod homo in converſione ſit ſubjectum mere paſſivum, non autem activum, p. 662, 681. (h) Quod homo in converſione cum Spiritu Sancto prorſus non cooperetur, p. 219, 579, 583, 672, 676. App. p. 143, 144. (h) Quod homo poſt lapſum retinuerit & poſſideat vires cognoſcendi res naturales, ut & liberum arbitrium bonum naturale & civile aliquo modo eligendi, p. 14, 218, 641, 664. App.

142. (i) Quod Dicta quorundam Patrum & Neotericorum Doctorum, quod Deus hominem trahat sed volentem, non sint analoga formæ sacrorum verborum, p. 582, 583. (k) Quod homo renatus per virtutem Spiritus Sancti cooperetur, quamvis cum multa infirmitate, ex novis viribus & donis, quæ Spiritus Sanctus in conversione inchoavit, at vero non coacte, sed sponte, p. 582, seq. 673, 674, 675. App. p. 144. (l) Quod in Renatis non modo dona Dei, sed etiam Christus per fidem habitet, tanquam in Templis suis, p. 695, 697, 698. App. p. 130. (m) Ingens discrimen est inter homines baptizatos & non baptizatos, cum enim juxta Pauli doctrinam est, quod omnes qui baptizati sunt, Christum induerint, & revera sint renati, habent illi jam liberatum arbitrium, hoc est, rursus liberati sunt, ut Christus testatur, unde non modo Verbum Dei audiunt, verum etiam, licet non sine multa infirmitate, eidem assentiri, illudque fide amplecti possunt, p. 675.

Probe observandum est, quod Antecedentia hæc ex Libro Formula Concordiæ vocato, qui a Viris Augustanæ Confessioni addictis conscriptus est, desumpta sint; sed quod usque similia de Justificatione per Solam Fidem a Reformatis in Anglia & in Hollandia tradantur & doceantur; quare sequentia sunt pro omnibus; videatur etiam infra, c. 17, 18.

# SCIAGRAPHIA

## DOCTRINALIUM NOVÆ ECCLESIÆ.

16. Sequitur nunc ſummaria Expoſitio Doctrinæ Novæ Eccleſiæ, quæ per Novam Hieroſolymam in Apocalypſi, Cap. XXI & XXII intelligitur: hæc Doctrina, quæ non modo eſt fidei ſed etiam vitæ, in ipſo Opere diſpeſcetur in Tres Partes.

Prima Pars docebit *I. De Domino Deo Salvatore, & de Divina Trinitate in Ipſo.*

*II. De Scriptura Sacra, & de utroque ejus Senſu, Naturali & Spirituali, ac de Sanctitate ejus inde. III. De Amore in Deum, & de Amore erga proximum, & de Concordantia illorum. IV. De Fide, & ejus Conjunctione cum binis illis amoribus. V. Doctrina vitæ ex præceptis Decalogi. VI. De Reformatione & Regeneratione. VII. De Libero Arbitrio, & de Cooperatione hominis cum Domino per illud. VIII. De Baptiſmo. IX. De Sancta Cœna. X. De Cœlo & Inferno. XI. De Conjunctione hominum cum illis, & de ſtatu vitæ illorum poſt mortem ſecundum conjunctionem. XII. De Vita Æterna.*

Secunda Pars *aget I. De Conſummatione Sæculi, ſeu fine Eccleſiæ hodiernæ. II. De Adventu Domini III. De Ultimo Judicio. IV. De Nova Eccleſia, quæ eſt Nova Hieroſolyma.*

Tertia Pars demonſtrabit Discordantias dogmatum Eccleſiæ hodiernæ & Eccleſiæ novæ. Sed circa has hic aliquantum morabimur, ex cauſa quia creditur a Clero & a Laico, quod Eccleſia hodierna ſit in ipſa luce Evangelii, ac in ejus veritatibus, quæ infirmari, convelli & impugnari nequeunt, nè quidem ab Angelo, ſi quis e Cælo deſcenderet: Eccleſia hodie nec videt aliud, quia ſubtraxit intellectum a fide, & uſque dogmata confirmavit per quendam viſum ſub intellectu, ac falſitates ibi poſſunt confirmari, uſque ut appareant ſicut veritates, ac falſitates ibi confirmatæ fœnerantur lucem fallacem, coram qua lux veritatum apparet ſicut caligo. Propter hanc cauſam hic aliquantum morabimur, Diſcordantias adducendo, & illas per breves notas illuſtrando, ut illæ coram Intellectu per cæcam fidem non occluſo videantur ſicut in luce crepuſculi, & deinde matutæ, & demum in ipſo Opere in die. Diſcordantiæ in genere ſunt hæ.

I.

17. *Quod Eccleſiæ per Reformationem ſeparatæ ab Eccleſia Romano-Catholica, diſſideant in variis; ſed quod omnes in Articulis,*

*de Trinitate perſonarum in Divinitate, de Origine peccati ex Adamo, de Imputatione meriti Chriſti, & de Juſtificatione per ſolam fidem, conveniant.*

BREVIS ANALYSIS.

18. Eccleſiæ per Reformationem ab Eccleſia Romano-Catholica ſeparatæ, ſunt ex illis, qui ſe vocant Evangelicos & Reformatos, ſimul Proteſtantes, vel ab Anteſignanis Lutheranos & Calvinianos, inter quas Eccleſia Anglicana medium tenet: de Eccleſia Græca, quæ ab antiquo a Romano-Catholica ſeparata fuit, hic non ſermo eſt. Quod Eccleſiæ Proteſtantium diſſideant in variis, imprimis de Sacra Cæna, Baptiſmo, Electione, & de Perſona Chriſti, multis notum eſt; at quod omnes in Articulis de Trinitate perſonarum in Divinitate, de Peccato Originali, de Imputatione meriti Chriſti, & de Juſtificatione per ſolam fidem, conveniant, non univerſaliter notum eſt; cauſa eſt, quia pauci ſtudent indagandis diſcriminationibus dogmatum inter Eccleſias, & inde nec convenientiis: Clerici ſolum dogmatica ſuæ Eccleſiæ hauriunt, ac Laici raro illa quoad interiora, & inde nec quoad diſſidentias. Quod tamen in quatuor illis Articulis in communibus & in pleriſque particularibus conveniant, pateſcit ex Libris illorum ſi conſuluntur, & ex Sermonibus ſi audiuntur. Sed hoc præmittitur ad notitiam propter ſequentia.

II.

19. *Quod Romano-Catholici ante Reformationem prorſus ſimilia quæ Reformati poſt illam, de quatuor ſupranominatis Articulis tradiderint, videlicet ſimilia de Trinitate perſonarum in Divinitate, ſimilia de Peccato originali, ſimilia de Imputatione meriti Chriſti, & ſimilia de Juſtificatione per fidem in illam, cum ſola differentia, quod eandem fidem cum charitate ſeu bonis operibus conjunxerint.*

BREVIS ANALYSIS.

20. Quod talis Conformitas in quatuor illis Articulis cum Romano-Catholicis ſit Proteſtantibus, ut vix alicujus momenti differentia interſit, præter quod illi fidem & charitatem conjunxerint, hi illas diſtinxerint, vix alicui notum eſt, imo ita ignotum, ut ipſi Docti hoc dictum miraturi ſint: cauſa hujus ignorantiæ eſt, quia Romano-Catholici raro adeunt Deum Salvatorem noſtrum, ſed loco ejus Papam ut vicarium, & quoque Sanctos; inde alte ſopiverunt dogmata ſua de Imputatione Meriti Chriſti, & de Juſtificatione per fidem; quod tamen ſint inter dogmata illorum recepta & agnita, patet manifeſte ex Synodi Tridentinæ Decretis, ſupra n. 3, 4, 5, 6, 7, 8. adductis, & a Papa Pio IVto confirmatis; n. 2. quæ ſi conferuntur cum dogmatibus ex Augu-

Auguſtana Confeſſione, & ex Formula concordiæ inde, n. 9, 10, 11, 12. allatis, videri poteſt, quod diſcrimina, quæ intercedunt, plus verbalia ſint, quam realia. Doctores Eccleſiæ ex illis lectis & collatis poſſunt quidem conformia videre, ſed uſque non plenis oculis, ut autem hi, & quoque minus Docti, ut & Laici, hoc videant, adjicientur aliqua illuſtrantia in ſequentibus.

## III.

21. *Quod Reformatores anteſignani, Lutherus, Melanchton & Calvinus, omnia Dogmata, de Trinitate Perſonarum in Divinitate, de Peccato Originali, de Imputatione meriti Chriſti, & de Juſtificatione per fidem, qualia tunc erant & fuerant apud Romano-Catholicos, retinuerint, ſed quod Charitatem ſeu Bona Opera ſeparaverint a fide illa, & declaraverint illa non ſimul ſalvifica, propter finem ut a Romano-Catholicis quoad ipſa eſſentialia Eccleſiæ, quæ ſunt Fides & Charitas, divellerentur.*

### *BREVIS ANALYSIS.*

22. Quod Quatuor ſupra nominati Articuli, ſicut hodie docentur in Eccleſiis Reformatis, non fuerint novi, & a Tribus Anteſignanis illis primum excuſi, ſed quod fuerint uſque a tempore Concilii Nicæni, & a Scriptoribus poſt illud, traditi, & inde in Eccleſia Romano-Catholica conſervati, ex Libris Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ patet. Quod Romano Catholici ac Reformati concordent in Articulo de Trinitate Perſonarum in Divinitate, eſt quia utrinque agnoſcuntur Tria Symbola, Apoſtolicum, Nicænum, & Athanaſianum, in quibus Trinitas docetur. Quod concordent in Articulo de Imputatione meriti Chriſti, patet ex deſumptis e Synodo Tridentina n. 3 ad 8 collatis cum deſumptis ex Formula Concordiæ, n. 10 ad 15. Quod etiam in Articulo de Juſtificatione, nunc ventilationi ſubjicietur.

23. Synodus Tridentina de Fide juſtificante tradit hæc „Perpetuus Eccleſiæ Catholicæ conſenſus fuit, quod Fides ſit humanæ ſalutis initium, fundamentum & radix omnis juſtificationis, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, & ad filiorum ejus conſortium venire, videatur ſupra n. 5 (a). Tum quod Fides ſit ex auditu Verbi Dei, n. 4 (c). Quod autem Romano-Catholica illa Synodus conjunxerit fidem & charitatem, ſeu fidem & bona opera, ex adductis ſupra n. 4, 5, 7, 8. plene videri poteſt. Quod autem Eccleſiæ Reformatæ ab Anteſignanis ſuis ſeparaverint illa, declarando ſalvificum in fide, & non ſimul in charitate ſeu operibus, propter finem ut a Romano-Catholicis quoad ipſa eſſentialia Eccleſiæ, quæ ſunt Fides & Charitas, divellerentur, ab ipſis Anteſignanis ſupra nominatis aliquoties audivi; ut & quod ſeparationem illam conſtabiliverint per hæc". Quod nemo poſſit bonum, quod confert ad ſalutem, ex ſe facere; nec poſſit implere legem; tum ne per illa meri-

meritum hominis intret fidem. Quod ex his principiis, & propter illum finem, excluſerint bona charitatis fide a & ſic etiam a ſalute, conſtat, ex allatis e FORMULA CONCORDIÆ ſupra n. 12; inter quæ hæc ſunt „ Quod Fides non juſtificet, quatenus a Charitate, ut Pontificii loquuntur, formata eſt, n. 12. (b). Quod rejicienda ſit poſitio, quod bona Opera ſint neceſſaria ad ſalutem propter plures cauſas, & quoque quia acceptantur a Papiſtis ad malam cauſam fulciendam, n. 12. (h). Quod merito rejiciendum ſit Tridentinæ Synodi decretum, quod bona opera ſalutem & fidem conſervent & retineant, n. 12. (n); præter plura ibi. Quod tamen uſque Reformati conjungant fidem & charitatem in unum ſalvificum ſimul, cum ſola differentia qualitatis operum, in Lemmate ſubſequente videbitur.

## IV.

24. *Quod tamen Reformatores Anteſignani, fidei ſuæ adjunxerint bona opera, & quoque conjunxerint illa, ſed in homine ut in ſubjecto paſſivo, Romano-Catholici autem in homine ut in ſubjecto activo: & quod tamen inter hos & illos quoad fidem, opera & merita, actualiter ſit conformitas.*

## BREVIS ANALYSIS.

25. Quod Reformatores Anteſignani, tametſi fidem & charitatem, ſeparaverunt, uſque adjunxerint illa, & tandem conjunxerint, ſed non velint ut in unum ſeu ſimultaneum ſalvificum, conſtat ex Libris, Sermonibus & Effatis oris illorum; nam poſtquam ſeparaverunt illa, conjungunt illa, imo conjunctionem exprimunt vocibus certis & non in binos ſenſus fractis, videlicet his, Quod Fides poſt juſtificationem nuſquam ſola ſit, quin charitatem ſeu bona opera ſecum ferat, & ſi non, quod fides non ſit viva ſed mortua, videatur ſupra n. 13. (o) (p) (q) (r) (y) (bb). Imo quod neceſſario ſequantur fidem, n. 13. (x) (y) (z). Tum quod Renatus ex novis viribus & donis cum Spiritu Sancto cooperetur, n. 13. (aa). Quod Romano Catholici prorſus ſimilia tradant, patet a collectis ex Synodo Tridentina, n. 4, 5, 6, 7, 8.

26. Quod Reformatores de Operum meritis pæne ſimilia quæ Romano-Catholici profiteantur, conſtat ex his e Formula Concordiæ tranſſumtis, Quod bona opera ex vi promiſſionis & ex gratia retribuantur, & quod inde mereantur præmia corporalia, & quoque ſpiritualia, n. 14. (i) (k) (l) (n). Et quod Deus mercede coronet ſua dona, n. 14. (h) (n). Conſimilia dicuntur in Synodo Tridentina, ſcilicet, Quod Deus ex gratia ſua dona faciat merita, n. 5. (f). Ac inſuper, quod Salus non ſit ex operibus, ſed ex promiſſione & gratia, quia Deus per Spiritum Sanctum operatur illa, n. 5. (e) (f) (g) (h) (i) (k).

27. Ex his & illis coram primo viſu apparet ſicut ſit plena conformitas, ſed ne ſit, Reformatores diſtinxerunt inter opera legis profluentia ex propoſito

ſito & voluntate, & inter opera ſpiritus profluentia ex fide ut a vena libera & ſpontanea, & hæc bona vocaverunt fructus fidei, videatur ſupra n. 11. (h) (l), & n 13. (a) (i) (l), & n. 15. (k). Ex his penitus inſpectis & collatis non apparet diſcrimen ipſorum operum, ſed modo qualitatis illorum, videlicet quod hæc proficiſcantur ex homine ſicut ex ſubjecto paſſivo, illa autem ſicut ex ſubjecto activo; proinde ſpontanea illa ſicut ex hominis intellectu, & non ſimul ex ejus voluntate; hoc dicitur, quoniam homo non poteſt non conſcius eſſe dum fiunt, quia illa facit, & conſcius fieri eſt ex intellectu. Attamen quia Reformati etiam pœnitentiæ exercitia, & luctas cum carne, prædicant, n. 13. (d) (e) (f) (g) (h) (k), & hæc non fieri poſſunt ab homine niſi ex ejus propoſito & voluntate, & ſic ab illo ſicut ab ipſo, conſequitur, quod uſque actualiter ſit conformitas.

28. Quod autem Liberum arbitrium in converſione ſeu in actu juſtificationis concernit, apparet ſicut prorſus in contrarium eant, ſed quod uſque conveniant, videri poteſt ſi rite expenduntur & conferuntur illa quæ ex Synodo Tridentina n. 6. (a) (b), exſcripta ſunt, cum illis quæ ex Formula Concordia n. 15. (m): ſunt enim omnes in Chriſtianiſmo baptizati, & inde in liberato arbitrio, ut non modo poſſint audire Verbum Dei, ſed etiam eidem aſſentiri, & illud fide amplecti; conſequenter nullus ibi eſt ſicut truncus.

29. Ex his nunc patent veritates, n. 19 & n. 21, aſſertæ, quod Reformatores ſua dogmata de Trinitate perſonarum in Divinitate, de Peccato Originali, de Imputatione meriti Chriſti, & de Juſtificatione per fidem, a Romano-Catholicis acceperint. Hæc allata ſunt ob finem, ut illorum dogmatum origo exſtet, imprimis origo ſeparationis fidei a bonis operibus, ſeu doctrinæ de ſola fide, quod modo fuerit, ut a Romano Catholicis divellerentur, & quod tamen diſſenſus ſit verbalis plus quam realis. Ex ſupra allatis manifeſte patet, ſuper qua fundatione Fides in Eccleſiis reformatis conſtructa eſt, & ex qua inſpiratione orta.

## V.

30. *Quod univerſa Theologia in Chriſtiano Orbe hodie fundata ſit ſuper idea Trium Deorum, oriunda ex doctrina Trinitatis Perſonarum.*

### BREVIS ANALYSIS.

31. Primum aliquid dicetur de origine, ſeu unde profluxit idea Trinitatis perſonarum in Divinitate, & inde trium Deorum. Sunt Tria Symbola, quæ vocantur Apoſtolicum, Nicænum, & Athanaſianum, quæ in ſpecie docent Trinitatem; Apoſtolicum & Nicænum ipſam Trinitatem, at Athanaſianum Trinitatem perſonarum. Tria illa Symbola in multis Libris Pſalmorum exſtant, Apoſtolicum in Pſalmo qui canitur, Nicænum poſt decalogum, & Athanaſianum ſeorſim ibi. Symbolum Apoſtolicum poſt Apoſtolorum tempora conſcriptum eſt; Symbolum Nicænum in Concilio Niceæ urbis Bethyniæ habito, ad quod ab Imperatore Conſtantino omnes Epiſcopi in Aſia, Africa,

& Europa, Anno 318, convocati sunt. Symbolum autem Athanasianum post illud Concilium a quodam vel a quibusdam, ad Arrianos prorsus profligandos, compositum est, & postea ab Ecclesiis etiam ut Oecumenicum acceptatum. Ex duobus prioribus Symbolis illuxit confessio Trinitatis, ex tertio autem seu Athanasiano effluxit professio Trinitatis personarum; quod inde idea trium Deorum sit, videbitur in nunc sequentibus.

32. Quod Divina Trinitas sit, constat manifeste ex Domini verbis apud Matthæum „ *dixit Jesus, euntes discipulos facite omnes gentes, baptizantes eos in Nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti*, Cap. XXVIII: vers. 19. tum ex his apud Eundem" *Cum baptizatus est Jesus, ecce aperti sunt Ipsi Cæli, & vidit Spiritum Sanctum descendentem ut columbam, & venientem super Ipsum: & ecce vox e Cælo, Hic est Filius meus dilectus, in Quo complacuit Mihi*, Cap. III: 16, 17. Quod Dominus emiserit Discipulos, ut baptizarent in Nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti, fuit causa, quia in Ipso tunc glorificato Divina Trinitas erat; dicit enim in vers. 18, præcedente „ *Data est* Mihi *omnis potestas in Cælo & in Terra*; & in vers. 20. sequente" *Ecce* Ego *vobiscum sum omnibus diebus usque ad Consummationem sæculi*, ita de Se Solo & non de Tribus: & apud Johannem, *Nondum erat Spiritus Sanctus, quia Jesus nondum glorificatus erat*, Cap. VII: 39, & illa dixit post Glorificationem, & Glorificatio fuit plenaria unitio cum suo Patre, Qui erat ipsum Divinum in Ipso a conceptione; ac Spiritus Sanctus erat Divinum ab Ipso glorificato procedens, Joh: XX: 22.

33. Quod idea Trium Deorum imprimis effluxerit ex Symbolo Athanasiano, ubi Trinitas personarum traditur, est quia nomen Personæ illam ideam parit, & quoque hunc implantant hæc verba ibi „ *Alia est Persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti;* & postea, *Pater est Deus & Dominus, Filius est Deus & Dominus, & Spiritus sanctus est Deus & Dominus:* principaliter autem hæc ibi". *Sicut singulatim unamquamque Personam Deum & Dominum confiteri Christiana Veritate compellimur; ita tres Deos aut tres Dominos dicere Catholica Religione prohibemur*"; ex quibus verbis resultat hoc, quod ex Christiana Veritate oporteat confiteri & agnoscere tres Deos & Dominos, sed quod ex Catholica Religione non liceat dicere seu nominare tres Deos & Dominos; proinde habere ideam trium Deorum & Dominorum, non autem oralem confessionem. Quod tamen usque Doctrina Trinitatis in Symbolo Athanasiano concordet cum veritate, dummodo pro Trinitate personarum ibi substituatur Trinitas Personæ, quæ est in Deo Salvatore Jesu Christo, videatur in Doctrina Novæ Hierosolymæ de Domino, An. 1763. Amstelodami edito, n. 55 ad 61.

34. Tenendum est, quod in Symbolo Apostolico dicatur, *Credo in Deum Patrem, in Jesum Christum, & in Spiritum Sanctum*: in Symbolo Nicæno, *Credo in Unum Deum, Patrem*; in *unum Dominum Jesum Christum, & in Spiritum Sanctum*, ita solum in unum Deum; at in Symbolo Athanasiano „ *In Deum Patrem, Deum Filium, & Deum Spiritum Sanctum*, ita in tres Deos. At quia Autores & Fautores hujus Symboli claris oculis viderunt, quod idea

trium

trium Deorum inevitabiliter ex effatis ibi reſultaret, ideo ut hoc ſanaretur, dixerunt quod una Subſtantia ſeu Eſſentia ſit Tribus; verum inde non alia idea profluit, quam quod Tres Dii unanimi & concordes ſint; nam cum una & individua ſubſtantia ſeu eſſentia prædicatur de Tribus, non tollit ideam Trium, ſed confundit illam, quia eſt vox methaphyſica, & hæc ſcientia cum omni ſua arte, non poteſt ex tribus Perſonis, quarum unaquævis eſt Deus, facere unum, poteſt facere unum in ore, ſed nuſquam in idea.

35. Quod univerſa Theologia Chriſtiana hodie fundetur ſuper idea Trium Deorum, patet manifeſte ex Doctrina Juſtificationis, quæ eſt Caput doctrinarum Eccleſiæ apud Chriſtianos, tam Romano-Catholicos, quam Proteſtantes: illa Doctrina tradit, Quod Deus Pater miſerit Filium ad redimendum & ſalvandum homines, & det Spiritum Sanctum qui id operetur: omnis homo, qui hoc audit, legit, aut dicit, non poteſt aliter quam in ſua cogitatione, hoc eſt, in ſua idea partiri Deum in Tres, & percipere quod unus Deus miſerit Alterum, ac operetur per Tertium. Quod eadem Cogitatio de Trinitate Divina diſtincta in tres Perſonas, quarum unaquævis eſt Deus, ſequatur in reliqua doctrinalia hodiernæ Eccleſiæ, ſicut a Capite in ſuum Corpus, in ſuis locis demonſtrabitur. Interea conſule præmiſſa de Juſtificatione, & conſule Theologica in genere & in ſpecie, & ſimul conſule teipſum, dum in Templis auſcultas prædicationes, aut domi oras, num aliter percipias & inde cogites, quam tres Deos; & maxime, dum ſeorſim precaris aut canis ad unum, & ſeorſim ad duos alteros, ut ſæpius fit. Ex his confirmata eſt Veritas propoſitionis, quod univerſa Theologia in Chriſtiano Orbe hodie ſuper idea Trium Deorum fundata ſit.

36. Quod Trinitas Deorum ſit contra Scripturam Sacram, notum eſt, legitur enim, *Nonne Ego Jehovah, & non amplius Deus præter Me, Deus juſtus & Salvator non præter Me*, Eſai. XLV: 21. 22. *Ego Jehovah Deus tuus, & Deum præter me non agnoſces, & Salvator non præter Me*, Hoſch. XIII: 4. *Sic dixit Jehovah Rex Iſraëlis, & Redemptor ejus Jehovah Zebaoth, Ego Primus & Ultimus, & præter me non Deus*, Eſai. XLIV: 6. *Jehovah Zebaoth Nomen Ipſius, & Redemptor tuus Sanctus Iſraëlis, Deus totius terræ vocabitur*, Eſai. LIV: 5. *In die illo erit Jehovah in Regem ſuper totam terram; in die illo erit Jehovah unus, & Nomen Ipſius unum*, Sach. XIV: 9. Præter alibi pluries.

37. Quod Trinitas Deorum ſit contra rationem illuſtratam, conſtare poteſt ex multis; quis homo ſanæ rationis audire poteſt, quod Tres Dii creaverint mundum; aut audire poteſt, quod Creatio & Conſervatio, Redemptio & Salvatio, ac Reformatio & Regeneratio, ſint trium Deorum, & non unius Dei. Et viciſſim, quis homo ſanæ rationis non vult audire, quod Deus qui creavit nos, redemerit nos, ac regeneret & ſalvet nos. Quoniam hæc & non illa intrant in rationem, ideo non datur Gens in univerſo terrarum orbe, cui eſt religio & ſana ratio, quæ non agnoſcit unum Deum. Quod Mahumedani, & quædam Gentes in Aſia & Africa, abhorreant Chriſtianiſmum, quia credunt in illo eſſe Cultum trium Deorum, notum eſt; & quod Chriſtiani ad increpationem modo reſpondeant, quod Tribus ſit una Eſſentia, & ſic

Unus Deus. Asseverare possum, quod ex Ratione mihi donata, videre possim, quod nec Mundus, nec Cælum Angelicum, nec Ecclesia, nec quicquam in illis, existere potuerit, & subsistere possit, nisi ex uno Deo.

38. His adjicientur aliqua ex CONFESSIONE ECCLESIARUM BELGICARUM in SYNODO DODRACENA recepta, quæ sunt „ Credo in unum Deum, Qui est unica Essentia, in qua tres sunt Personæ in proprietatibus communicabilibus ab æterno revera ac reipsa distinctæ, nempe Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, Pater est omnium rerum tam visibilium quam invisibilium Causa, Origo atque Principium; Filius est Verbum, Sapientia, & Imago Patris; Spiritus Sanctus est Virtus & Potentia æterna a Patre Filioque procedens. Sed fatendum est, quod hæc doctrina humani ingenii captum longe excedat, exspectamus vero ejus perfectam notitiam in Cælis.

## VI.

39. *Quod Dogmata illius Theologiæ appareant esse erronea, postquam idea Trinitatis Personarum & inde Trium Deorum rejecta est, ac idea Unius Dei, in Quo est Divina Trinitas, loco ejus recepta.*

### BREVIS ANALYSIS.

40. Quod Dogmata hodiernæ Ecclesiæ, quæ fundantur super idea trium Deorum, capta ex doctrina Trinitatis Personarum intellecta sicut sonat, appareant erronea; postquam idea unius Dei, in Quo est Divina Trinitas, loco ejus recepta est, est causa, quia erroneum non prius videri potest; est enim sicut qui noctu solum in luce aliquot stellarum videt varia, inprimis simulachra, & credit esse homines vivos; aut qui in crepusculo ante ortum solis in lecto videt in aere sicut larvas, & credit esse angelos; aut qui in fatua luce phantasiæ videt plura, & credit esse realia; quod talia non appareant & percipiantur qualia in se sunt, antequam homo in lucem diei, hoc est, in lucem vigiliæ intellectus venit, notum est. Simile est cum Spiritualibus Ecclesiæ, quæ erronee & falsè percepta & quoque confirmata sunt, quando ipsa vera in sua luce, quæ est lux Cæli, sistuntur videnda. Quis non intelligere potest, quod omnia dogmata, quæ super idea trium Deorum fundata sunt, ab interiori sint erronea & falsa: dicitur ab interiori, quia idea Dei intrat in omnia Ecclesiæ, Religionis, & Cultus; & Theologica supra omnia in mentibus humanis resident, & in supremis ibi est idea Dei, quare si hæc falsa est, omnia quæ sequuntur, trahunt a principio, a quo defluunt, quod falsa vel falsificata sint; supremum enim, quod etiam est intimum, facit ipsam Essentiam consequentium, ac Essentia, sicut anima, format illa in corpus suæ imaginis, & dum in descensu incidit in vera, etiam inficit illa suo nævo & errore. Idea trium Deorum in Theologicis potest comparari morbo inhærenti cordi aut pulmoni, in quo æger opinatur se esse sanum, quia Medicus id nescius persua-

ſuadet; at dum hic illud ſcit, & uſque perſuadet, merito redarguendus eſt malignitatis ſupra modum.

VII.

41. *Quod tunc Fides vere ſalvifica, quæ eſt in unum Deum, unita bonis operibus, agnoſcatur & recipiatur.*

BREVIS ANALYSIS.

42. Quod hæc fides, quæ eſt in unum Deum, ut vere ſalvifica agnoſcatur & recipiatur, dum prior fides, quæ eſt in tres Deos, diſparatur, eſt quia illa antea in ſua facie non videri poteſt; prædicatur enim Fides hodierna ſicut unice ſalvifica, quia eſt in unum Deum, & quia eſt in Salvatorem; ſed uſque ſunt binæ Facies iſtius fidei, una Interna & altera Externa, Interna formata eſt ex perceptione trium Deorum, quis aliter percipit aut cogitat, conſulat ſe quiſque, Externa autem ex confeſſione unius Dei, quis aliter confitetur & loquitur, conſulat ſe quiſque: hæ duæ Facies inter ſe prorſus discordant, adeo ut Externa non agnoſcatur ab Interna, nec Interna cognoſcatur ab Externa. Propter hanc diſcordantiam & diſparationem unius e conſpectu alterius, concepta & nata eſt confuſa idea de ſalutiferis in Eccleſia. Aliter fit, dum Facies interna & externa concordant, ac ſe mutuo vident ut unanimum unum & ſe cognoſcunt; quod hoc fit cum unus Deus, in Quo eſt Divina Trinitas, non modo mente percipitur, ſed etiam ore agnoſcitur, ex ſe patet. Quod tunc aboleatur Dogma de abalienatione Patris a Genere humano, & inde quoque de Reconciliatione Ipſius; quodque prorſus alia Doctrina de Imputatione, Remiſſione peccatorum, Regeneratione, & inde Salvatione exeat, in ipſo Opere, in luce rationis illuſtratæ a Divinis veris ex Scriptura Sacra, pervidebitur. Dicitur Fides unita bonis operibus, quia Fides in unum Deum abſque unione cum illis non dabilis eſt.

VIII.

43. *Et quod hæc fides ſit in Deum Salvatorem Jeſum Chriſtum, ac in ſimplici ſua forma talis. I. Quod ſit unus Deus, in Quo eſt Divina Trinitas, & quod Ille ſit Dominus Jeſus Chriſtus. II. Quod Fides ſalvifica ſit credere in Ipſum. III. Quod fugienda ſint mala, quia ſunt diaboli & a diabolo. IV. Quod facienda ſint bona, quia ſunt Dei & a Deo. V. Et quod hæc facienda ſint ab homine ut ab ipſo, at quod credendum ſit, quod ſint a Domino apud illum & per illum.*

## BREVIS ANALYSIS.

44. Hæc eſt Fides Novæ Eccleſiæ in ſimplici forma, in ampliore videbitur in Appendice, & in ampla in ipſo Opere, in ejus Parte Prima, ubi docebitur de Domino Deo Salvatore & de Trinitate in Ipſo; de Amore in Deum & de Amore erga proximum; ac de Fide & ejus conjunctione cum binis illis Amoribus; & quoque in reliquis, quæ ordine ſequuntur ibi. Sed intereſt ut hoc Præliminare de illa fide, hic paucis illuſtretur, ac illuſtratur ejus PRIMUM, Quod ſit unus Deus, in Quo eſt Divina Trinitas, & quod Ille ſit Dominus Jeſus Chriſtus, per hæc ſummatim; veritas certa & conſtans eſt, quod Deus ſit Unus, & Ipſius Eſſentia individua, & quod ſit Trinitas, cum itaque Deus eſt unus & Ipſius Eſſentia individua, ſequitur quod Deus ſit una Perſona, & cum eſt una Perſona, quod Trinitas ſit in illa: quod ſit Dominus Jeſus Chriſtus, patet ex his, quod conceptus ſit a Deo Patre, Luc. I: 34, 35; & quod ſic quoad animam & ipſam vitam ſit Deus; & inde ſicut Ipſe dixit, quod Pater & Ipſe unum ſint, Joh. X: 30. Quod Ipſe in Patre & Pater in Ipſo ſit; Joh. XIV: 10, 11. Quod qui videt Ipſum & cognoſcit Ipſum videat & cognoſcat Patrem, Joh. XIV: 7, 9. Quod nemo videat & cognoſcat Patrem, niſi Ipſe qui in ſinu Patris eſt; Joh. I: 18. Quod omnia Patris ſint Ipſius, Joh. III: 35. Cap. XVI: 15. Quod ſit Via, Veritas & Vita, & quod nemo veniat ad Patrem niſi per Ipſum, Joh. XIV: 6. ita ab Ipſo, quia eſt in Ipſo, & ſic Ipſe; & ſecundum Paulum, Quod omnis plenitudo Divinitatis in Ipſo habitet corporaliter, Colloſſ. II: 9. & ſecundum Eſajam „ Puer natus eſt nobis, Filius datus eſt nobis, cujus nomen Deus, PATER ÆTERNITATIS, IX: 5. Ac præterea, Quod Ipſi ſit poteſtas omnis carnis, Joh. XVII: 2. Et quod Ipſi ſit omnis poteſtas in Cælo & in Terra, Matth. XXVIII: 18; ex quibus ſequitur, quod ſit Deus Cæli & Terræ. ALTERUM, Quod Fides ſalvifica ſit credere in Ipſum, illuſtratur per hæc „ Jeſus dixit, Qui credit in Me, non morietur in æternum, ſed vivet, Joh. XI: 25. 26. Hæc eſt voluntas Patris, ut omnis qui credit in Filium, habeat vitam æternam, Joh. VI: 40. Adeo dilexit Deus Mundum, ut Filium ſuum Unigenitum dederit, ut omnis qui credit in Ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam, Joh. III: 15, 16. Qui credit in Filium, habet vitam æternam, qui vero non credit Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper illo, Joh. III: 36. TRIA RELIQUA, quæ ſunt, quod fugienda ſint mala, quia ſunt diaboli & a diabolo; & quod facienda ſint bona, quia ſunt Dei & a Deo; at quod credendum ſit, quod ſint a Domino apud illum & per illum, illuſtrare & demonſtrare, non opus eſt: Univerſa enim Scriptura Sacra a principio ad finem confirmat illa, ibi non aliud in ſumma docetur, quam fugere mala & facere bona, & credere in Dominum Deum: & præterea abſque his tribus non eſt aliqua religio, Religio enim eſt vitæ, ac vita eſt fugere mala & facere bona, ac homo hæc facere & illa fugere non poteſt, niſi ut ab ipſo; quare ſi removes hæc tria ab Eccleſia, removes ab illa Scripturam Sacram, & quoque removes Religionem, quibus remotis Eccleſia non eſt Eccleſia. Præterea de Fide Novæ Eccleſiæ

in

in forma universali & in forma particulari, videatur infra, n. 116, 117; quæ omnia in Ipso Opere demonstranda sunt.

IX.

45. *Quod hodierna Fides ab Ecclesia separaverit Religionem, quæ consistit in agnitione unius Dei, & in cultu Ipsius ex fide charitatis.*

BREVIS ANALYSIS.

46. Quæ Gens in universo terrarum Orbe, cui est religio & sana ratio, datur, quæ non scit & credit, quod unus Deus sit, & quod facere mala sit contra Ipsum, ac facere bona sit cum Ipso, & quod homo hæc & illa facturus sit ex sua anima, ex suo corde, & ex suis viribus, tametsi influunt a Deo, & quod hæc sint Religio; quis itaque non videt, quod confiteri tres Personas in Divinitate, & quod declarare bonis operibus nihil salutis inesse, sit separare Religionem ab Ecclesia: declaratur enim quod illis operibus non insit, per hæc, Quod fides absque bonis operibus justificet, n. 12. (a) (b); Quod Opera non necessaria sint ad salutem, nec ad fidem, quia salus & fides per bona opera non conservantur, nec retinentur, n. 12. (g) (h) (m), (n), proinde quod non sit vinculum conjunctionis fidei cum bonis operibus: si postliminio dicitur, quod bona opera usque sponte sequantur fidem, sicut fructus ex arbore, n. 13. (l) (n), tunc quis facit illa, imo quis cogitat de illis, & quis sponte fertur ad illa, dum scit & credit, quod nihil ad salutem conferant, & adhuc, quod nemo possit aliquod bonum salutis facere ex se, & sic porro. Si dicitur, quod usque conjunxerint fidem cum bonis operibus; sed hæc conjunctio penitus inspecta non est conjunctio sed est adjunctio, & hæc sicut appendix adjecta, quæ non cohæret nec adhæret aliter quam sicut umbra adposita picturæ, ex qua pictura apparet plus ad vivum; & quia Religio est vitæ, & hæc consistit in bonis operibus secundum vera fidei, patet quod ipsa Religio sit illa, & non talis appendix; imo, quod apud plures sit sicut Cauda equina, quæ, quia non valet, ex placito amputatur. Quis aliter ex ratione concludit, dum hæc, sicut sonant, percipit; Quod stultum sit somniare, quod Opera secundæ Tabulæ Decalogi coram Deo justificent, n. 12. (d): tum hæc, Quod si quis credit se ideo consequi salutem, quia habet charitatem, afficiat contumelia Christum, n. 12. (e): ut & hæc, Quod bona Opera prorsus excludenda sint, dum de Justificatione & de Vita æterna agitur, n. 12. (f), præter plura ibi; quis itaque, dum postea legit, quod bona Opera necessario sequantur fidem, & quod si non sequuntur, fides falsa sit, & non vera, n. 13. (p) (q) (y), præter plura, attendit ad illa, & si attendit, num hoc fit cum perceptione, ac bonum effluens ex homine absque perceptione, est inanime sicut ex statua. At si profundius inquiritur in causam istius Doctrinæ, apparet sicut Antesignani primum pro norma assumserint solam Fidem, ut divellerentur a Romano Catholicis, ut supra n. 21. 22. 23. dictum est, & quod postea adjunxerint charitatis opera, ne sit contra Scripturam Sacram, ac ut appareat sicut sit Religio, & sic sanetur.

X.

X.

47. *Quod Fides hodiernæ Eccleſiæ non poſſit cum Charitate conjungi, ac producere aliquos fructus, qui ſunt bona opera.*

BREVIS ANALYSIS.

48. Antequam hoc demonſtratur, primum coram intellectu detegetur, unde & quid charitas, ac unde & quid fides, & ſic unde & quid bona opera, quæ vocantur fructus: Fides eſt veritas, quare doctrina fidei eſt doctrina veritatis; ac doctrina veritatis eſt intellectus & inde cogitationis, & ex hac loquelæ; quare illa docet quid volendum & agendum eſt, ita quod mala & quæ mala fugienda ſunt, ac quod bona & quæ bona facienda ſunt; cum homo bona inde facit, tunc bona ſe conjungunt cum veris, quia voluntas cum intellectu, bonum enim eſt voluntatis, ac verum eſt intellectus; ex hac conjunctione exiſtit affectio boni, quæ in ſua eſſentia eſt charitas, & affectio veri, quæ in ſua eſſentia eſt fides, & hæ duæ unitæ faciunt conjugium; ex hoc conjugio naſcuntur bona opera, ſicut ex arbore fructus; & ſunt inde fructus boni & fructus veri; hi in Verbo ſignificantur per uvas, illi autem per olivas.

49. Ex hac generatione bonorum operum patet, quod ſola fides nullatenus poſſit producere aut parere aliqua opera quæ vocantur fructus, prorſus ſicut non ſola fæmina abſque viro aliquas proles, quare fructus fidei eſt loquutio inanis & logos. Præterea in univerſo Mundo nuſquam aliquid productum eſt, nec producitur niſi ex conjugio, cujus unum ſe refert ad bonum, ac alterum ad verum; aut in oppoſito, unum ad malum, ac alterum ad falſum, conſequenter non aliqua opera poſſunt concipi minus naſci, niſi ex illorum conjugio, Bona opera ex conjugio boni & veri, ac Mala opera ex conjugio mali & falſi.

50. Quod cum hodiernæ Eccleſiæ fide non poſſit charitas conjungi, & inde non ex aliquo conjugio naſci bonum opus, eſt cauſa, quia Imputatio complet omnia, remittit delicta, juſtificat, regenerat, ſanctificat, dat vitam cæli & ſic ſalutem, ac illa gratis abſque ulla opera hominis; quid tunc charitas, cujus conjugium foret cum fide, niſi ſuperflua & vana, & niſi acceſſorium & auctoramentum imputationis & juſtificationis, quod tamen ad nihil valet. Præterea fides fundata ſuper idea trium Deorum eſt erronea, ut ſupra n. 39, 40. oſtenſum eſt; & cum fide erronea non poteſt charitas, quæ in ſe eſt charitas, copulari. Creditur quod non vinculum fidei iſtius cum charitate ſit, propter binas cauſas; Unam, quia Fidem ſuam faciunt ſpiritualem, at Charitatem naturalem moralem, putantes quod non detur aliqua conjunctio ſpiritualis cum naturali. Alteram, ne in Fidem unice ſalvificam illorum aliquid ex homine, & inde aliquid meriti influat. Præterea, nec datur vinculum charitatis cum illa Fide, ſed datur cum Fide nova, quam videas infra, n. 116, 117.

XI.

## XI.

51. *Quod ex Fide hodiernæ Eccleſiæ redundet Cultus oris & non vitæ, cum tamen cultus oris acceptus eſt Domino ſecundum cultum vitæ.*

### BREVIS ANALYSIS.

52. Hoc teſtatur experientia; quot hodie vivunt ſecundum præcepta Decalogi, & reliqua Domini ex religione, & quot hodie volunt videre ſua mala a facie, & actualem pœnitentiam agere, & ſic cultum vitæ ingredi; & quis non, qui pietati ſtudet, aliam pœnitentiam agit, quam oralem & oratoriam, confitendo ſe eſſe peccatorem, ac precando ex doctrina Eccleſiæ, ut Deus Pater ex miſericordia propter Filium ſuum, Qui pro peccatis ſuis paſſus eſt crucem, ſuſtulit illorum damnationem, & expiavit ſanguine ſuo, remittat ſibi delicta ſua, ut immaculatus ſiſtatur coram throno judicii tui; quis non videt, quod hic Cultus ſit ſolius pulmonis & non cordis, ita externus & non internus; orat enim de remiſſione peccatorum, & tamen non ſcit unum peccatum apud ſe; & ſi ſciret, circumvelaret illud favore & indulgentia, aut fide purificante & abſolvente abſque ejus opera. Sed hoc comparative eſt ſicut ſervus incedens facie & veſte conſpurcatis fuligine & ſtercore accederet ad herum ſuum, ac diceret, Domine ablue me; annon illi herus dicturus eſt, ſerve ſtulte, quid dicis, ecce ibi aqua, ſapo, & linteum, ſuntne tibi manus & poſſe in illis, ablue teipſum: at Dominus Deus dicturus eſt, ſunt media purificationis a Me, & quoque eſt tuum velle & tuum poſſe a Me, quare uteris illis meis donis & dotibus ſicut tuis, & purificaberis. Sit adhuc exemplum illuſtrationi, ſi millies oraveris domi & in templis, ut Deus Pater propter Filium ſuum cuſtodiat te a diabolo, & tu ipſe non ex libero, in quo perpetuo teneris a Domino, a malo, ita a diabolo, temet cuſtodiveris, non poteris per legiones Angelorum miſſas a Domino cuſtodiri; Dominus enim non poteſt contra Divinum ſuum ordinem agere, ac Ipſius ordo eſt, ut homo exploret ſe, videat ſua mala, reſiſtat illis, & hæc ſicut ex ſe, tametſi ex Domino. Hoc quidem hodie non apparet ſicut Euangelium, ſed uſque eſt, nam Euangelium eſt ſalvari a Domino. Quod Cultus oris acceptus ſit Domino ſecundum cultum vitæ, eſt quia loquela hominis coram Deo & coram angelis ſonat ex affectione amoris & fidei ejus, & hæc duo inſunt homini ſecundum vitam; quare ſi amor & fides Dei vitæ tuæ inſunt, ſonas ſicut columba, at ſi amor & fiducia ſui vitæ tuæ inſunt, ſonas ſicut bubo, utcunque vocem flexeris ad imitamen vocis turturis; Spirituale, quod intus in ſono eſt, hoc facit.

## XII.

53. *Quod Doctrina hodiernæ Eccleſiæ confaſciata ſit per plura Paradoxa, quæ fide amplectenda ſunt; & quod ideo ejus dogmata ſolum intrent memoriam, & non in aliquem intellectum ſupra illam, ſed modo in confirmationes infra illam.*

## BREVIS ANALYSIS.

54. Instant Præsules Ecclesiæ, ut Intellectus sub obedientia fidei capteturimo quod Fides ignoti, quæ est cæca seu nocturna, sit proprie fides, hoc primum Paradoxum est, nam fides est veri, & verum est fidei, ac verum, ut fiat fidei, erit in sua luce & videbitur, alioquin potest credi falsum. Paradoxa ex tali fide profluentia, sunt plura; ut Quod Deus Pater genuerit Filium ab æterno, & quod Spiritus Sanctus ab utroque procedat, & quod quisque sit Persona per se, & Deus; Quod Dominus tam quoad animam quam quoad corpus sit ex matre; Quod tres illæ Personæ, ita tres Dii, creaverint universum, & quod unus ex illis descenderit & assumserit Humanum, ad reconciliandum Patrem, & sic ad salvandum homines; & quod salventur per imputationem, applicationem & translationem justitiæ Ipsius in illos qui ex gratia nanciscuntur fidem, & credunt illa paradoxa; & quod homo ad primam receptionem istius fidei sit instar statuæ, trunci aut lapidis, & quod fides per solum auditum Verbi influat; & quod sola absque operibus legis & non formata ex charitate, salutifera sit; & quod operetur remissionem peccatorum absque prævia pœnitentia; & quod ex sola illa remissione peccatorum impœnitens justificetur, regeneretur & sanctificetur; & quod deinde sua sponte sequantur charitas, bona opera, & resipiscentia; præter similia plura, quæ omnia ex doctrina super idea trium Deorum fundata; sicut proles ex toro non legitimo, procreatæ, profluxerunt.

55. Quis Sapiens non videt, quod talia intrent solam memoriam, & non intellectum supra illam, etiamsi possint confirmari per ratiocinia ex apparentiis & fallaciis infra illam: Intellectui enim humano sunt binæ luces, una e Cælo & altera e Mundo; Lux e Cælo, quæ est spiritualis, in mentes humanas influit supra memoriam, at Lux e Mundo, quæ est naturalis, infra illam: quod homo ex hac Luce possit confirmare quicquid libet, ac falsa æque ut vera, & quod post confirmationem videat falsa prorsus ut vera, in Memorabili, quod inferum est Operi super edito de Amore Conjugiali, n. 233, ostensum est.

56. His adjicietur hoc Arcanum e Cælo: omnia illa Paradoxa secundum confirmationes illorum Mentibus humanis inhærent confasciata sicut in unum fasciculum, aut compaginata sicut in unum glomum, ac intrant simul in quodlibet individuum enuntiatum ex doctrina Ecclesiæ; ut dum enuntiatur fides, aut charitas, aut pœnitentia, & plus si imputatio aut justificatio, in quodvis; congeriem illam seu conglomerationem illorum non videt ipse homo, sed vident Angeli apud hominem, & hi illam vocant Malua, hoc est, Confusionem & caliginem.

57. Prævideo quod hodie permulti paradoxis fidei istius impregnati, dicturi sint, quomodo possunt Theologica percipi intellectu, suntpe Spiritualia quæ transcendunt; aperi itaque si potes mysterium Redemptionis & Justificationis, ut ratio id videat, & acquiescat: Hoc ergo aperietur ita; Quis non scit, quod Deus unus sit, & non præter Ipsum alius, & quod Deus sit Ipse

Amor

Amor & Ipſa Sapientia, ſeu quod ſit Ipſum Bonum & Ipſum Verum; & quod ipſe ille Deus quoad Divinum Verum, quod eſt Verbum, deſcenderit & aſſumſerit Humanum ad removendum Inferna, & ſic damnationem ab homine; & quod hoc peregerit per pugnas, & per victorias ſuper diabolum, hoc eſt, ſuper omnia inferna, quæ tunc infeſtabant ac ſpiritualiter occidebant omnem hominem venientem in Mundum; & quod poſtea glorificaverit Humanum ſuum, per quod in Illo univerit Divinum Verum Divino Bono, & ſic rediverit ad Patrem ex Quo exivit; his perceptis intelligitur hoc apud Johannem „ *Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; & Verbum Caro factum eſt*, Cap. I: 1. 14. Et quoque hoc apud Eundem" *Exivi a Patre, & veni in Mundum, & iterum relinquo Mundum, & vado ad Patrem*, Cap. XVI: 28. Ex his etiam patet, quod abſque Adventu Domini in Mundum, nullus mortalium ſalvari potuerit, & quod ſalventur qui credunt in Ipſum, & bene vivunt. Hæc facies fidei apparet coram viſu per Verbum illuſtrato in die; & eſt facies fidei Novæ Eccleſiæ; Vide FIDEM NOVI CÆLI ET NOVÆ ECCLESIÆ IN FORMA UNIVERSALI, ET IN FORMA PARTICULARI, infra nn. 116, & 117.

## XIII.

58. *Quod Dogmata hodiernæ Eccleſiæ non poſſint niſi cum magna difficultate diſſipari, & quia elabantur retineri, & non niſi cum multa parcimonia & cautela, ne nuditas illorum appareat, prædicari & doceri, propter cauſam, quia vera Ratio illa non percipit & recipit.*

## BREVIS ANALYSIS.

59. Quod Intellectus ſub obedientia Fidei captandus ſit, eſt ſicut proclama appoſitum ante Dogmata Eccleſiæ hodiernæ, indicium quod interiora ſint myſtica ſeu arcana, quia, quia tranſcendunt, non poſſunt in regionem intellectus ſuperiorem influere, & percipi, videatur ſupra p. 54. Miniſtri Eccleſiæ illi, qui ambiunt fama Sapientiæ eminere, & credi Oracula in Spiritualibus, in Lyceis hauriunt & inſorbent imprimis talia, quæ captum aliorum excedunt, quod fit cum aviditate, & ſæpe cum difficultate; & quia ex illis reputantur Sapientes, & illi qui illuſtres ac opulenti facti ſunt ex talibus abſconditis cimeliis, inſigniuntur pileis Doctoratus ac palliis Epiſcopatus, vix aliud in ideis ſuæ cogitationis verſant, & ſuper pulpitis docent, quam myſtica de Juſtificatione per ſolam fidem, & de bonis operibus ut pediſequis ejus: & ex eruditione de utriſque, mirabiliter nunc ſeparant illa, nunc conjungunt illa; & comparative ſicut nudam fidem tenerent in una manu, & charitatis opera in altera, & nunc ulnas extendunt, & ſic ſeparant illa, & nunc manum manui applicant, & conjungunt illa. Sed Exempla illuſtrent, docent quod bona opera non ſint neceſſaria ad ſalutem, quia ſi ab homine fiunt, ſunt meritoria; ſimul etiam quod neceſſario ſequantur fidem, quæ illis unum eſt cum ſalute.

Docent quod fides absque bonis operibus ut viva justificet; simul etiam quod fides absque bonis operibus ut mortua non justificet. Docent quod fides non conservetur & retineatur per bona opera; & simul quod hæc procedant ex fide, sicut fructus ex arbore, lux ex sole, & calor ex igne. Docent quod bona opera adjuncta compleant fidem, & simul quod conjuncta sicut conjugio aut in una forma, fidem essentia sua salutifera deprivent. Docent quod Christianus non sub lege sit, & simul quod in quotidianis legis exercitiis. Docent quod si bona opera commiscentur negotio salutis per fidem, ut si remissioni peccatorum, justificationi, regenerationi, vivificationi, salvationi, sint nocumenta; at si non commiscentur, sint emolumenta. Docent quod Deus coronet sua dona, quæ sunt bona opera, præmiis, etiam spiritualibus, sed non salute & vita æterna, quia his coronat fidem absque illis. Docent quod Fides illa sit sicut Regina, quæ incedit magnifica ex bonis operibus ut famulitiis a tergo, at si hæc conjungunt se ei a facie, & illam oculantur, ejicitur illa e throno, & vocatur mæcha. Imprimis cum docent fidem, & simul bona opera, spectant meritum ab uno latere, & non meritum ab altero, & eligunt vocabula, & concinnant illa in alternum sensum, unum pro laicis & alterum pro clericis, pro laicis ne ejus nuditas appareat, & pro clericis ut appareat. Expende num aliquis audiens talia, quicquam Doctrinæ ducentis ad salutem hauriat, numne ex apparentiis sicut contradictionum in illis fiat cæcus, & postea objecta salutis palpet sicut ambulans in nocte: quis scit num ei fides aliqua sit ex operibus ut testimoniis, ac num præstet facere illa ex timore meriti, aut omittere illa ex timore jacturæ fidei. At, mi amice, eripe te a talibus, ac fuge mala ut peccata, & fac bona, & crede in Dominum, & dabitur tibi Justificatio Salvans.

## XIV.

60. *Quod Doctrina fidei hodierna Ecclesiæ addicet Deo Proprietates humanas, ut quod homines aspexerit ex ira, quod velit reconciliari, quod reconcilietur per amorem in Filium, & per intercessionem; & quod velit propitiari per misericordiam visam in Filio, & sic reduci in Misericordiam; & quod supplicanti ex sola fide injusto imputet justitiam Ipsius, & quod sic faciat hunc ab inimico amicum, & ex filio iræ filium gratiæ.*

### BREVIS ANALYSIS.

61. Quis non scit, quod Deus sit ipsa Misericordia & Clementia, quia est ipse Amor & ipsum Bonum, & quod illa sint Ipsius Esse seu Essentia; & quis inde non videt, quod contradictio sit dicere, quod ipsa Misericordia seu ipsum Bonum possit aspicere hominem ex ira, inimicus ejus fieri, ac averrere se ab illo, & damnationem ejus concludere, & usque manere suum Divinum Esse seu Deus: talia vix cadunt in hominem probum, sed in improbum, nec in-

An-

Angelum Cæli, ſed in Angelum inferni; quare infandum eſt illa addicare Deo. Quod addicaverint, in evidentia patet ex effatis plurium Patrum, Conciliorum, & inde Eccleſiarum, a primis ſæculis ad hodienum; & quoque ex inductionibus, quæ a principio in principiata, ſeu a cauſa in cauſata, ſicut a capite in membra, neceſſario inſequutæ ſunt; ut quod velit reconciliari, quod reconcilietur per amorem in Filium, & per interceſſionem ſeu mediationem, quod velit propitiari per extremam miſeriam viſam in Illo, & ſic reduci & quaſi cogi in Miſericordiam, ut ab inimico fiat amicus, ac adoptet filios iræ in filios gratiæ. Quod imputare juſtitiam & merita Filii ſui injuſto ſupplicanti ex ſola fide, etiam ſit mere humanum, videbitur in Analyſi ultima hujus opuſculi.

62. Illi, qui viderunt Proprietates mere humanas indignas Deo, & tamen Ipſi attributas, ad tutandum Syſtema Juſtificationis ſemel conceptum, & ad velandum illud apparentia, dixerunt quod ira, vindicta, damnatio, & ſimilia alia, ſint prædicationes Juſtitiæ Ipſius, & quod ideo in Verbo pluries dicantur & ſicut approprientur Deo. Sed per iram Dei in Verbo ſignificatur malum apud hominem, quod quia contra Deum eſt, dicitur ira Dei, non quod Deus iraſcatur homini, ſed quod homo ex malo ſuo iraſcatur Deo; & quia malo ineſt ſua pœna, ſicut bono ſua retributio, ideo dum malum punit illum, apparet ſicut Deus; hoc enim eſt ſicut maleficus tribuit legi quod puniatur, aut igni quod uratur ſi manum immittit, aut enſi extenſo in manu tutantis dum in mucronem incurrit: talis eſt Juſtitia Dei. Sed de his plura videantur in Apocalypsi Revelata, de Juſtitia & Judicio in Deo & a Deo, n: 668. Quod tribuatur Ipſi Ira, n: 635. Quod etiam Vindicta, n: 658; ſed hæc in ſenſu literæ, quia ille ſenſus per apparentias & correſpondentias conſcriptus eſt, non autem in ſenſu Spirituali; in hoc eſt veritas in ſua luce. Hoc poſſum aſſeverare, quod Angeli, dum audiunt aliquem dicentem, quod Deus ex ira concluſerit damnationem Generis humani, ac ut inimicus per Filium, ut alterum Deum a ſe genitum, reconcilietur, fiant ſicut qui ex commotione viſcerum & ſimul ſtomachi exciuntur ad egeſtionem, dicentes, quid inſanius de Deo poteſt dici

63. Cauſa quod Proprietates humanas addixerint Deo, eſt quia omnis Spiritualis perceptio & illuſtratio eſt a Solo Domino; eſt enim Dominus Verbum, ſeu Divinum Verum, & eſt Lux vera quæ illuminat omnem hominem, Joh: I: 1. 9: & dicit; *Ego Lux in Mundum veni, ut omnis qui credit in Me, in tenebris non maneat*, Joh: XII: 46. & hæc Lux & inde Perceptio ſolum influit apud illos qui Ipſum pro Deo Cæli & Terræ agnoſcunt, & Ipſum Solum adeunt, & non apud illos qui ideam trium Deorum fovent, quod factum eſt ab initio inſtaurationis Eccleſiæ Chriſtianæ: hæc idea, quia eſt mere naturalis, non recipit aliam lucem quam naturalem, nec poteſt aperiri ad affluxum & receptionem lucis ſpiritualis; inde eſt, quod non viderint alias proprietates in Deo quam naturales. Præterea ſi vidiſſent has Divinæ Eſſentiæ incongruas, & a Juſtificationis Articulo removiſſent, plane excidiſſent Religione ſuper Cultu trium Deorum ab initio fundata, ita ante tempus præſtitutum pro Nova Eccleſia, quando Plenitudo & Reſtauratio.

## XV.

64. *Quod ex Fide hodiernæ Eccleſiæ enati ſint & adhuc enaſci poſſint Fœtus enormes; ſicut Momentanea Salvatio ex immediata Miſericordia; Prædeſtinatio; nulla attentio Dei ad actus hominis, ſed ad ſolam fidem; quod non detur Vinculum charitatis & fidei; quod homo in converſione ſit ſicut truncus; præter plura; etiam de Sacramentis, Baptiſmo & Sacra Cœna quoad principia rationis de uſufructu illorum educta ex Doctrina juſtificationis per ſolam fidem; ut & de Perſona Chriſti. Hæretica a Primis ſæculis ad hodienum non aliunde quam ex Doctrina ſuper idea trium Deorum fundata ſcaturiverunt.*

### BREVIS ANALYSIS.

65. Quod hodie non alia Salvatio quam momentanea ex immediata Miſericordia credatur, conſtat ex eo, quod ſola fides oralis & ſimul fiducia pulmonaris, & non ſimul charitas, ex qua fides oralis fit realis, ac fiducia pulmonaris fit cardiaca, omne opus ſalvationis abſolvat; ſi enim aufertur cooperatio, quæ fit per exercitia charitatis ab homine ut ab ipſo, fit cooperatio ſpontanea ſequens fidem ex ſe, actio paſſiva, quæ eſt vox frivola; nam quid tunc pluribus opus eſt, quam hoc momentaneum & immediatum „ Salva me Deus propter paſſionem Filii tui, Qui ſanguine ſuo abluit me a peccatis meis, ac me purum, juſtum & ſanctum ſiſtit coram Throno tuo; & quod hoc dictamen oris in ultima mortis hora, ſi non prius, ut ſemen juſtificationis, etiam valeat. Quod tamen Momentanea ſalvatio ex immediata Miſericordia, ſit hodie preſtet volans in Eccleſia, & quod per id aboleatur religio, inducatur ſecuritas, & damnatio imputetur Domino, in Opere de Divina Prouidentia, n. 340, Amſtelodami Anno 1764 edito, videatur.

66. Quod Prædeſtinatio ſit Fœtus fidei hodiernæ Eccleſiæ, eſt quia naſcitur a fide momentaneæ ſalvationis ex immediata Miſericordia, & ex fide abſolutæ impotentiæ & nullius arbitrii in ſpiritualibus, de qua infra n. 68, quod ex illis ſequatur hoc ſicut preſter a preſtere, ſeu aranea ab aranea, videatur ſupra; ex illa, & quoque ex converſione ſicut inanimata hominis, quod ſit ſicut truncus, & quod dein ex nulla conſcientia ſciat num ipſe truncus vivificatus ſit ex gratia, vel non; nam dicitur, Quod Deus per auditum Verbi det fidem, quando & ubi vult, n. 19. (a) ita ex beneplacito; & quoque quod Electio ſit ex mera gratia Dei excluſa hominis actione, ſive ex viribus naturæ, ſive gratiæ, proficiſcatur, Form. Concordiæ, p. 821, Appendix p. 182. Opera, quæ ut teſtimonia ſequuntur fidem, ſunt coram viſu reflectente ſimilia operibus carnis, ac Spiritus, qui operatur illa, non manifeſtat ex qua origine ſunt, ſed facit illa gratiæ, & ſic beneplaciti ſicut ipſam fidem. Ex

his

his patet, quod ex Fide hodiernæ Ecclesiæ Dogma prædestinationis, ut ex radice furculus, exiverit; & possum dicere, quod ut consectarium vix evitabile ex illa fide effluxerit; quod factum primum apud Prædestinatianos, inde a Godeschalco, postea a Calvino & ejus assectis, & demum a Synodo Dodrectana valide stabilita, & inde sicut Palladium religionis, aut potius sicut Caput gorgonis seu medusæ clypeo Palladis insculptum, a Supra & Infra Lapsariis in Ecclesiam suam exportata. Sed quid damnosius potuit excludi, & quid crudelius de Deo credi, quam quod aliqui ex Humano Genere ex prædestinato damnati sint; crudelis enim fides foret, quod Dominus, Qui est Ipse Amor & Ipsa Misericordia, velit ut multitudo hominum nascatur ad infernum, seu quod myriades myriadum nascantur dævoli, hoc est, quod nascantur diaboli & satanæ; & quod non ex Divina sua Sapientia, quæ est infinita, providerit & provideat, ne illi, qui bene vivunt, & agnoscunt Deum, in ignem & cruciatum æternum conjiciantur; est usque Dominus omnium Creator & Salvator, & Ipse Solus ducit omnes, ac nullius mortem vult; quid ergo immanius potest credi & cogitari, quam quod Cætus gentium & populorum sub auspicio ac sub intuitu Ipsius ex prædestinato traderentur diabolo in prædam, ac satiaret ingluviem ejus. Sed hoc est Fætus fidei Ecclesiæ hodiernæ; at fides Novæ Ecclesiæ illud ut monstrum abhorret.

67. Nulla attentio Dei ad actus hominis, sed ad solam fidem, est nova Hæresis ex binis prioribus, de quibus nunc supra n. 64, 65. prognata; & quod mirum est, ex sola fide penitus lustrata & extricata, quod a sagacissimis hujus sæculi factum est, ut progenies tertia a matre lupa seu prædestinatione, excusa; sed quia est insana, impia, & Machiavellistica, adhuc uteterinis e matre post partum elapsis tunicis, seu secundinis, ne monstrositas ejus appareat, quasi inclusa tenetur: verum ejus insania & impietas in Apocalypsi Revelata, n. 463, descripta & exposa videatur.

68. Quod non detur vinculum charitatis & fidei, sequitur ex his in Doctrina justificationis illorum, Quod fides imputetur ad justitiam sine operibus, n. 12. (a) Quod fides non justificet quatenus a charitate formata est, n. 12. (b) Quod bona opera prorsus excludenda sint, dum de justificatione & de vita æterna agitur, n. 12. (f) Quod bona opera ad salutem non necessaria sint, & quod assertio necessitatis illorum ab Ecclesia plane ejicienda sit, n. 12. (g) (h) (i) (k). Quod salus & fides non conserventur nec retineantur per charitatem & ejus opera, n 12. (m) (n). Quod bona opera immixta negotio justificationis sint pernicioa, n. 14. (g) Quod opera spiritus seu gratiæ, quæ sequuntur fidem ut fructus ejus, nec aliquid ad salutem conferant, n. 14. (d) & alibi; ex quibus inevitabiliter consequitur, quod isti fidei non sit aliquod vinculum cum charitate, & quod si foret, perniciem saluti, quia fidei, quæ sic non sola salutis administra foret, inferret. Quod actualiter nec dari possit vinculum charitatis cum illa fide, supra n. 47, 48, 49, 50 ostensum est; quare dici potest, quod sit ex proviso & prædestinato, quod Reformatores charitatem & bona opera ex fide sua foras & tam procul ejecerint; nam si conjunxerint illa, foret sicut conjunxissent pardum & ovem, lupum

pum & agnum, ac accipitrem & turturem; quod fides illa in Apocalypſi deſcribatur etiam per Pardum, videtur Cap. XIII: 2, & Explicatio ibi n. 572. Sed quid Eccleſia, abſque fide, & fides abſque charitate, ita quid Eccleſia abſque conjugio fidei & charitatis, n. 48; hoc Conjugium eſt ipſa Eccleſia, & eſt Eccleſia Nova, quæ nunc a Domino inſtauratur.

69. Quod homo in converſione ſit ſicut truncus, Fides hodiernæ Eccleſiæ agnoſcit ut ſuum germanum fœtum plenis verbis, his, Quod homini ſit plenaria impotentia in rebus ſpiritualibus, n. 15. (a) (b) (c). Quod in Converſione ſit ſicut truncus, lapis & ſtatua, & quod ne quidem ad gratiam recipiendam ſe poſſit accommodare & applicare, & ſicut id quod nullorum ſenſuum uſum habet, n. 15. (c) (d). Quod homini ſit ſolum potentia locomotiva ad Cœtus ubi Verbum & Evangelium poteſt audire, n. 15. (e) Sed quod Renatus per virtutem Spiritus Sancti, ex novis viribus & donis certo modo cooperetur, n. 15. (k); præter plura. Quod homo dicatur talis in ſe convertendo ac pœnitentiam a malis operibus agendo, eſt quoque fœtus ex eodem ovo aut utero, hoc eſt, ex fide ſola juſtificante, excluſus, propter finem, ut opera hominis prorſus exterminarentur, & ne cum fide ſe minimo tactu conjungerent. Sed quia illa communi omnium perceptioni de converſione & pœnitentia hominis repugnant, adjicitur hoc ibi „ *Ingens diſcrimen eſt inter homines baptizatos & non baptizatos, cum enim juxta Pauli doctrinam eſt, quod omnes qui baptizati ſunt, induerint Chriſtum, & revera ſint renati, habent illi jam liberatum arbitrium, unde non modo Verbum Dei audiunt, verum etiam eidem aſſentiri, illudque fide complecti poſſunt*" n 15. (m), & in FORMULA CONCORDIÆ, p. 675. Appello ad ſapientes, ut expendant, num hæc cum prioribus ullo modo cohæreant, & numne ſit contradictio, ſi dicitur quod aliquis Chriſtianus ſit in ſtatu converſionis ſicut truncus & lapis, adeo ut ad gratiam recipiendam ne quidem ſe accommodare poſſit, cum tamen unuſquiſque Chriſtianus eſt baptizatus, & ex baptiſmo ſecum tulit, quod non modo poſſit audire Verbum Dei, ſed etiam eidem aſſentiri, & illud fide complecti; quare ſimilitudo hominis Chriſtiani cum trunco & lapide ab Eccleſiis in Chriſtiano orbe excommunicanda eſt, ac diſſipanda, ſicut diſſipatur meteoron homini viſum in ſomno dum expergiſcitur; quid etiam rationi repugnantius eſt. Sed ad elucidationem, quomodo Nova Eccleſia Converſionem hominis docet, velim ex quodam Memorabili in APOCALYPSI REVELATA tranſcribere hæc „ Quis non videt, quod ſit cuivis homini liberum cogitare de „ Deo, & non cogitare de illo; & quod ſic liberum ſit cuivis in ſpiritualibus „ æque ut in civilibus & moralibus; Dominus hoc dat continue omnibus; „ quare reus & ſons ſit ſicut cogitat; homo eſt homo ex poſſe hoc, & beſtia „ eſt beſtia ex non poſſe hoc; quare homo ſe poteſt reformare & regenera„ re ſicut ex ſe, modo corde agnoſcat quod ſit a Domino; omnis qui pœni„ tentiam agit, reformatur & regeneratur; utrumque faciet homo ſicut a „ ſe; & ſicut a ſe etiam eſt a Domino, quia Dominus dat velle & poſſe, & „ hoc nuſquam alicui aufert. Verum eſt, quod homo ad id non quicquam „ poſſit conferre, attamen non creatus eſt ſtatua, ſed homo ad faciendum

„ id

„ id a Domino ſicut a ſe; hoc unicum reciprocum amoris & fidei & inde „ conjunctionis eſt, quod Dominus omnino vult ut fiat ipſi ab homine; „ verbo facite a vobis, & credite quod ſit a Domino, ſic facitis ſicut a vobis. Ve„ rum ita facere, non inditum eſt homini a creatione, nam facere a ſe eſt „ ſolius Domini, ſed datur continue; & tunc quantum homo facit bonum & di„ ſcit verum ſicut a ſe, eſt angelus cæli; at quantum facit malum, & inde „ confirmat falſum, quod etiam eſt ſicut a ſe, tantum eſt ſpiritus inferni; „ quod hoc etiam ſit ſicut a ſe, conſtat ex orationibus, ut a diabolo cuſtodia„ tur, ne ſeducat, ac mala ſua inferat; ſed omnis reus ſit, qui credit quod „ faciat a ſe, ſive ſit bonum ſive ſit malum; ſed non reus ſit, qui credit quod „ faciat ſicut a ſe: nam quicquid homo credit quod faciat a ſe, appropriat „ ſibi; ſi bonum appropriat id ſibi & facit ſuum, cum tamen eſt Dei & a „ Deo, ſi malum, etiam appropriat illud ſibi, & facit ſuum, cum tamen eſt „ diaboli & a diabolo.

Quod plura alia, etiam de Sacramentis, Baptiſmo & Sacra Cœna, quoad principia rationis, de uſu fructu illorum, educta ex doctrina juſtificationis per ſolam fidem; ut & de Perſona Chriſti; & quod Hæretica a primis Sæculis ad hodienum, non aliunde quam ex Doctrina ſuper idea trium Deorum fundata ſcaturiverint, ſuperſedetur demonſtrari in hac Epitome, verum adducentur & demonſtrabuntur in ipſo Opere.

## XVI.

70. *Quod Status ultimus Eccleſiæ hodiernæ, quando finis ejus, per Conſummationem ſæculi, & tunc Adventum Domini, apud Matthæum Cap. XXIV: 3: intelligatur.*

### BREVIS ANALYSIS.

71. Legitur apud Matthæum, *Acceſſerunt Diſcipuli ad Jeſum, & oſtenderunt Ipſi ſtructuras Templi, & dixit illis Jeſus, amen dico vobis, non relinquetur hic lapis ſuper lapide, qui non diſſolvetur. Et dixerunt Ipſi Diſcipuli, dic nobis quando illa erunt, & imprimis quodnam ſignum* TUI ADVENTUS & CONSUMMATIONIS SÆCULI; Cap. XXIV: Verſ. 1. 2. 3. Hodie adductis Clericis & ab eruditis Laicis per deſtructionem Templi intelligitur deſtructio ejus a Veſpaſiano; & per Adventum Domini, & Conſummationem ſæculi, intelligitur finis ac interitus Mundi; ſed per deſtructionem Templi, non modo intelligitur deſtructio ejus a Romanis, ſed etiam deſtructio Eccleſiæ hodiernæ; & per Conſummationem ſæculi, & tunc Adventum Domini, intelligitur finis hujus Eccleſiæ, ac inſtauratio Novæ a Domino; quod hæc intelligantur, patet ex toto illo Capite a principio ad finem, ubi ſolum de ſucceſſivis declinationibus & corruptionibus Eccleſiæ Chriſtianæ, uſque ad interitum ejus, quando finis, agitur. Quod per Templum in ſtricto ſenſu intelligatur Templum Hieroſolymitanum, in lato ſenſu Eccleſia Domini, in latiori Cælum Angelicum, & in

latissimo Dominus quoad Humanum suum, videatur in Apocalypsi Revelata, n. 529. Quod per Consummationem sæculi intelligatur finis Ecclesiæ, qui est, dum non aliquod verum doctrinæ ex Verbo, quod non falsificatum & sic consummatum est, supereſt, n. 658, 676, 750, ibi. Quod per Adventum Domini intelligatur Adventus Ipsius in Verbo, & tunc instauratio Novæ Ecclesiæ loco prioris consummatæ, constat ex Ipsius verbis in eodem Capite a Versu 30 ad 34; tum a binis ultimis Capitibus XXI & XXII in Apocalypsi, ubi etiam hæc „ *Ego Jesus sum Radix & Genus Davidis, Stella splendida & matutina; & Spiritus & Sponsa dicunt, veni; & audiens dicat veni; & sitiens veniat: etiam venio cito, Amen, etiam veni Domine Jesu*, Cap. XXII: 17, 20.

72. Quod tunc finis Ecclesiæ sit, quando non amplius vera fidei & inde nec bona charitatis sunt, patet ex se: quod falsa fidei exstinguant vera doctrinæ, ac mala vitæ exurant bona charitatis; & quod ubi falsa fidei sunt, ibi etiam sint mala vitæ, & quod ubi mala vitæ etiam sint falsa fidei, singulariter in sua Transactione demonstrabitur. Quod hactenus latuerit, quod per Consummationem sæculi intellectus sit finis Ecclesiæ, est causa, quia ubi falsa docentur, ac doctrina ex illis creditur & honoratur ut orthodoxa, nullatenus potest sciri, quod Ecclesia consummanda sit; falsa enim spectantur ut vera, ac vera ut falsa, & tunc falsum explodit verum, & denigrat illud, sicut atramentum aquam limpidam, aut fuligo chartam albam: creditur enim, & a Doctissimis hujus sæculi conclamatur, quod in clarissima luce Evangelii sint, tametsi quoad totam faciem in caligine; ita albugo obtexit pupillas oculorum illorum.

73. Quod apud Matthæum in Cap. XXIV: apud Marcum in Cap. XIII, & apud Lucam in Cap. XXI, ubi similia, non describatur Templi & Hierosolymæ destructio, sed quod prædicantur successivæ mutationes status Ecclesiæ Christianæ in suo ordine usque ad ultimum ejus, quando finis, videbitur in ipso Opere, ubi illa Capita erunt explicata: ac interea ex his apud illos Evangelistas „ *Tunc apparebit signum Filii hominis, & tunc plangent omnes Tribus terræ; & videbunt Filium hominis venientem in nubibus Cæli cum virtute & gloria: ac mittet Angelos suos cum tuba voce magna, & congregabunt electos Ipsius a terminis cælorum usque ad terminos illorum*, Matth. XXIV: 30, 31. Marc. XIII: 26, 27. Luc. XXI: 27; quod hæc non visa nec audita sint Hierosolymæ cum destruebatur, & quod hæc hodie credantur futura tempore Ultimi Judicii, notum est. Similia leguntur etiam in Apocalypsi, in qua a principio ad finem solum de ultimo Statu Ecclesiæ agitur, ibi hæc „ *Ecce Jesus Christus venit in nubibus, & plangent super Ipsum omnes Tribus terræ*, Cap. I: 5, 7. quæ in Apocalypsi Revelata, n. 24 ad 28, verbotenus explicata videantur; & quid Tribus terræ, & illarum planctus significant, n. 27, 348, 349.

## XVII.

74. *Quod infestatio a falsis, & inde consummatio omnis veri, seu desolatio, hodie in Ecclesiis Christianis, per Afflictionem magnam, qualis non fuit ab initio Mundi, nec fiet, apud Matthæum Cap. XXIV: 21. intelligatur.*

## BREVIS ANALYSIS.

75. Quod successivæ declinationes & corruptiones Ecclesiæ Christianæ in in Cap. XXIV, apud Matthæum a Domino prædictæ & descriptæ sint, videatur supra, n. 73; & postquam ibi loquutus est de futuris Pseudoprophetiis & de Abominatione Desolationis per illas, Vers. 11, 15. dicit, *Erit tunc Afflictio magna, qualis non fuit ab initio Mundi usque nunc, nec fiet*, Vers. 21. inde patet, quod per Afflictionem magnam, sicut etiam passim in Verbo alibi, intelligatur infestatio veri a falsis, usque dum non aliquid genuini veri e Verbo deprompti, quod non falsificatum & sic consummatum est; supersit. Hoc effectum est, quia Ecclesiæ Unitatem Dei in Trinitate, ac Trinitatem Ipsius in Unitate non agnoverunt in una Persona, sed in Tribus, ac inde fundaverunt Ecclesiam in Mente super ideæ trium Deorum, & in Ore super confessione unius Dei; sic etenim separaverunt se a Domino, tandem eo usque, ut nullam ideam Divinitatis in Humana Ipsius Natura residuam habuerint, videatur APOCALYPSIS REVELATA, n. 294, cum tamen Dominus quoad Humanum suum est Ipsum Divinum Verum, & Ipsa Divina Lux, ut in Verbo suo plene docet; inde est tanta afflictio hodie: quod hæc principaliter inducta sit per Doctrinam Justificationis & Imputationis media sola fide illarum, in sequentibus videbitur.

76. De hac Afflictione seu infestatione veri a falsis, actum est in septem Capitibus in Apocalypsi; illa est quæ intelligitur per Equum nigrum, & per Equum pallidum, exeuntes ex Libro, cujus Sigilla Agnus aperuit, Cap. VI: 5 ad 8. Tum, per Bestiam ascendentem ex abysso, qui fecit bellum cum binis testibus, & occidit illos, Cap. XI: 7, seq. Ut & per Draconem, qui stetit coram Muliere paritura ut fœtum ejus devoraret, & persequutus illam in desertum, & ibi ex ore suo ejecit aquam ut flumen, ut absorberet illam, Cap. XII. Et quoque per Bestiam ex mari, quæ corpore similis erat pardo, pedibus ursi, ac ore leoni, Cap. XIII: 2. Tum per tres Spiritus similes ranis, qui ex ore draconis, ex ore bestiæ, & ex ore pseudoprophetæ, exiverunt, Cap. XVI: 13. Ac insuper per hæc, Quod postquam septem Angeli effuderant phialas iræ Dei, in quibus erant septem plagæ ultimæ, in terram, in mare, in fluvios & fontes, in solem, in thronum bestiæ, in Euphratem, & tandem in aerem, factus sit terræ motus magnus, qualis non fuerat, ex quo homines facti sunt in terra, Cap. XVI; Terræ motus significat Ecclesiæ inversionem, quæ fit per falsa & falsificationes veri. Similia intelliguntur per

hæc „ Misit Angelus falcem, & vindemiavit vineam terræ, & conjecit in torcular iræ Dei magnum; & calcatum est torcular, & exivit sanguis usque ad fræna equorum a stadiis mille sexcentis, Cap. XIV: 19, 20; Sanguis significat falsificatum verum; præter plura in septem illis Capitibus; videte, si lubet, Explicationes, & Memorabilia post illa Capita.

## XVIII.

77. *Quod non Amor, nec Fides, neque Cognitiones boni & veri, in Ecclesia Christiana tempore ultimo, quando finis ejus instat, sint, intelligatur per hæc in eodem Capite XXIV apud Matthæum; Post afflictionem istorum, Sol obstupabitur, & Luna non dabit lumen suum, & Stellæ cadent de Cælo, & Virtutes Cælorum commovebuntur, Vers. 29.*

## BREVIS ANALYSIS.

78. In Verbo Prophetico similia de Sole, Luna & Stellis dicuntur, quæ hic apud Matthæum Cap. XXIV: 29. Prout apud Esajam, *Ecce dies Jehovæ venit sævus*, Stellæ *cælorum & Sidera illorum non lucebunt luce sua*, Sol *obtenebrabitur in ortu suo, &* Luna *non splendere faciet lumen suum*, XXIV: 21, 23. Apud Ezechielem „ *Obtegam, cum exstinxero te, Cælos, & atrabo* Stellas *eorum; Solem nube obtegam, &* Luna *non lucere faciet lumen suum, & dabo tenebras super terra tua* „ XXXII: 7, 8. Apud Joelem „ *Venit dies Jehovæ, dies tenebrarum,* Sol *&* Luna *non lucere facient lucem suam, &* Stellæ *contraxerunt splendorem suum*, II: 10. Apud Eundem „ Sol *vertetur in tenebras, &* Luna *in sanguinem, antequam venit dies Jehovæ magnus*, III: 4. *Propinquus est dies Jehovæ in valle decisæ;* Sol *&* Luna, *atrati sunt;* IV: 15. In Apocalypsi „ *Quartus Angelus clanxit, & percussa est tertia pars* Solis, *tertia pars* Stellarum, *& dies non lucebat tertia sui parte* VII: 12. & alibi, Sol *factus est niger sicut saccus cilicinus, &* Luna *facta est sicut sanguis*, VI: 12. In omnibus his locis agitur de Ultimo tempore Ecclesiæ Judaicæ, quod erat cum Dominus in Mundum venit; similiter hic apud Matthæum & in Apocalypsi, sed de ultimo tempore Ecclesiæ Christianæ, quando Dominus iterum venturus est sed in Verbo, quod est Ipse, & in quo Ipse est; quare immediate post illa verba Matth. XXIV: 29. sequitur hoc „ *Et tunc apparebit signum Filii hominis venientis in nubibus cælorum*, „ Vers. 30. Per Solem in illis locis intelligitur Amor, per Lunam Fides, & per Stellas cognitiones boni & veri, & per Virtutes Cælorum illa tria ut stabilimenta & firmamenta cælorum ubi sunt Angeli, & Ecclesiarum ubi homines; per illa itaque in unum sensum collecta, intelligitur, quod non Amor, nec Fides, neque cognitiones boni & veri, in Ecclesia Christiana, tempore ultimo, quando finis ejus instat, superstitia sint. Quod Sol significet amorem, in Apocalypsi Revelata, n. 53, 54, 413, 796, 831.

881, 961, oſtenſum eſt; quod Luna fidem, n. 53, 332, 413, 423, 533. quod Stellæ cognitiones boni & veri, n. 51, 74, 333, 408, 419, 954, ibi.

79. Quod ſecundum prædictionem in Eccleſiis Chriſtianis hodie talis caligo ſit, ut non lux e Sole ſit interdiu, nec lux e Luna & Stellis ſit noctu, eſt DOCTRINA DE JUSTIFICATIONE PER SOLAM FIDEM, unice in cauſa; illa enim docet Fidem ut unicum medium Salutis, de cujus influxu, progreſſu, inhabitatione, operatione, efficientia, nondum aliquis ſignum vidit; & in quam non Lex decalogi, non charitas, non bona opera, nec pœnitentia, neque ſtudium novæ vitæ, intrant, aut ullo modo contingunt; aſſerentes quod illa ſponte ſequantur abſque uſu ad continendam fidem, aut ad comparandam ſalutem. Docet etiam, quod illa Fides donet renatos ſeu adeptos rude libertatis, ut non ſub lege ſint; tum quod Chriſtus peccata illorum contegat coram Deo Patre, qui illa ſicut non viſa remittit, & illos innovatione, ſanctimonia, & vita æterna, coronat. Hæc & ſimilia plura ſunt Interiora Doctrinæ iſtius; Exteriora, quæ non intrant illa, ſunt pretioſa de Charitate, de Bonis operibus, de Actibus pœnitentiæ, de Exercitiis legis, ſed hæc ſunt illis ſicut mancipia & mediaſtini, quæ Dominam fidem abſque contiguitate ſequuntur: verum quia ſciunt, quod Laici pendant illa ſalvifica una cum fide, in ſermonibus & colloquiis induſtrie ſubjungunt illa, ac ſimulant conjungere & inſertare juſtificationi, ſed modo adblandiendi auribus vulgi cauſa, ac tutandi ſua oracula, ne appareant ænigmatica, vel ſicut pythonica.

80. Ad confirmandum ſupradicta, ex FORMULA CONCORDIÆ, de qua ſupra n. 9, adducam ſequentia, ne quis credat, illos immerito talium incuſatos eſſe, quæ ſunt hæc; Quod Opera Secundæ Tabulæ decalogi ſint civilia & externi cultus, quæ homo ex ſe poteſt facere; & quod ſtultum ſit ſomniare, quod illa juſtificent, pag. 84. 85. 102. Quod bona Opera prorſus excludenda ſint a negotio juſtificationis per fidem, p. 589. 590. 591. 704 ad 708. Quod bona Opera juſtificationem prorſus non ingrediantur, p. 589. 702. App. 62. 173. Quod bona Opera non ſalutem nec fidem conſervent, p. 590. 705, App. p. 174. Quod nec Pœnitentia intret juſtificationem fidei, p. 165. 320. App. p. 158. Quod Pœnitentia ſit modo invocare Deum, confiteri Evangelium, gratias agere, obedire magiſtratui, ſervire vocationi, p. 12. 198 App. 158. 159. 172. 266 Quod Renovatio vitæ nec ad juſtificationem pertineat, p. 585. 685. 688. 689. App. p. 170. Quod ſtudium novæ obedientiæ nec intret fidem & juſtificet, p. 90. 91. 690. App. p. 167. Quod Renati non ſub lege ſint, ſed ab ejus ſervitute liberati, & quod ſolum in lege; & ſub gratia ſint, p. 722, & alibi. Quod Renatorum peccata Chriſti merito contegantur, p. 641. 686. 687. 719. 720: præter plura conſimilia. Sciendum eſt, quod omnes Proteſtantes, tam Evangelici quam Reformati, Juſtificationem per ſolam fidem ſimiliter doceant, videatur ſupra n. 17. 18.

81. Mirabile eſt, quod Doctrina Juſtificationis per ſolam fidem, hodie in toto Chriſtiano Reformato orbe omne punctum ferat, hoc eſt, illa ibi pœne ut unicum Theologicum in Ordine ſacro regnet; illa eſt, quam omnes Novitii e Clero in Gymnaſiis avide addiſcunt, & hauriunt; & poſtea ſicut inſpirati

Cæleſti Sapientia in Templis docent, libris vulgant, & per quam ſuperioris eruditionis famam & nominis gloriam ſectantur, & quoque propter quam diplomata, auctoramenta, & præmia donantur: & hæc fiunt, tametſi per illam ſolam Doctrinam hodie obſcuratus eſt Sol, lumine ſuo orbata eſt Luna, ac Stellæ cælorum deciderunt, hoc eſt, perierunt: quod Doctrina fidei imputativæ juſtitiæ hodie occæcaverit mentes in tantum, ut non velint, & inde quaſi non poſſint videre aliquod Divinum Verum in luce Solis, nec in luce Lunæ, ſed ſolum in luce foci noctu, teſtatum mihi factum eſt; quare poſſum vaticinari, quod ſi Divina Vera de Conjunctione charitatis & fidei, de Cœlo, de Domino, de Felicitate æterna inde, argenteis literis exarata e cælo demitterentur, a Juſtificatariis non lectu digna cenſerentur; at prorſus aliter ſi charta de Juſtificatione per ſolam fidem, ab inferis exportaretur. Legitur etiam in FORMULA CONCORDIÆ, Quod Articulus de Juſtificatione per ſolam fidem ſeu de Juſtitia fidei, præcipuus ſit in tota Doctrina Chriſtiana; & quod Opera legis ex hoc Articulo prorſus excludenda ſint, p. 17. 61. 62. 72. 89. 683. Append. p. 164.

## XIX.

82. *Quod illi qui in hodierna Fide juſtificante ſunt, per Hircos apud Danielem, & apud Matthæum intelligantur.*

### BREVIS ANALYSIS.

83. Apud Danielem leguntur hæc „ *In viſione vidi Arietem, cui duo cornua alta, ſed altius aſcendens poſterius; & quod Cornu feriret verſus Occidentem, Septentrionem, & Meridiem, & magnum ſe faceret. Dein vidi Hircum venientem ab Occidente ſuper facies totius terræ, cui erat cornu inter Oculos; & quod cucurrerit ad Arietem cum furore roboris ſui, & fregerit duo cornua ejus, & projecerit eum in terram, & conculcaverit eum: at quod fractum ſit cornu magnum Hirci, & loco ejus aſcenderint quatuor cornua; & quod ex uno eorum exiret cornu exiguum, quod crevit valde verſus Meridiem, verſus Ortum, & verſus Decus; & uſque ad Exercitum Cælorum, & dejecit in terram de Exercitu, & de Stellis, & conculcavit ea: imo extulit ſe ad Principem excercitus, & ab Eo ſublatum eſt Juge, & projectum Habitaculum ſanctuarii Ejus, quia projecit Veritatem in terram, Et audivi unum Sanctum, dicentem, quouſque Viſio hæc, Juge & Prævaricatio vaſtans, ut detur Sancti & Excercitus conculcatio; & dixit, uſque ad veſperam mane, tunc juſtificabitur Sanctum*, Cap. VIII: 2 ad 14. Quod Viſio illa prædicat ſtatus Eccleſiæ futuros, patet manifeſte; nam dicitur quod a Principe exercitus ſublatum ſit Juge, projectum Habitaculum ſanctuarii Ejus, & quod Hircus projecerit Veritatem in terram: tum quod Sanctus dixerit, quo uſque Viſio hæc, ut detur Sancti & Excercitus conculcatio; & quod hoc eſſet ad veſperam mane, quando juſtificabitur Sanctum; per veſperam mane enim intelligitur finis Eccleſiæ Veteris quando Nova.

84.

84. Apud Matthæum leguntur hæc „ *Tunc Filius hominis dicet Hircis, qui a ſiniſtris, diſcedite a Me, nam Eſurivi & non dediſtis Mihi quod ederem; Sitivi & non potaſtis Me; Peregrinus eram, & non collegiſtis Me; Nudus eram & non induiſtis Me; Ægrotus eram, & in cuſtodia, & non viſitaſtis Me; & hi abibunt in pœnam æternam.* Quod non alii per Hircos & per Oves hic intelligantur, quam qui per Hircum & per Arietem apud Danielem, patet manifeſte; quod per Hircos intelligantur qui in hodierna fide juſtificante ſunt, conſtat ex eo; quod ad Oves enumerentur Opera charitatis, & dicatur quod illa fecerint; & quod ad Hircos enumerentur eadem Opera charitatis, & dicatur quod illa non fecerint, & quod hi ideo damnentur; eſt enim apud illos qui in hodierna fide juſtificante ſunt, omiſſio operum, ex negatione, quod nihil Salutis & Eccleſiæ in illis ſit; cum Charitas ita removetur, bona Opera, quæ ſunt charitatis, elabuntur mente, & obliterantur adeo, ut naſquam in recordationem, aut in aliquem conatum revocationis illorum ex Lege decalogi, amplius veniant. Communis norma religionis eſt, quod quantum quis non vult bona & inde non facit illa, tantum velit mala & inde faciat illa; & quoque viciſſim, quod quantum quis non vult mala, & inde non facit illa, tantum velit bona & inde faciat illa; & hi ſunt Oves, illi autem Hirci. Si omnes mali per Hircos ibi intellecti fuiſſent, non Opera charitatis, quæ non fecerunt, ſed Mala quæ fecerunt, enumerata fuiſſent.

85. Quod non alii quam illi per Hircos intellecti ſint, patuit mihi ab Experientia in Mundo Spirituali; in hoc Mundo apparent omnia, quæ in Mundo naturali, apparent domus & palatia, apparent paradiſi & horti, & in illis arbores omnis generis, apparent agri & novalia, tum campi & vireta; & quoque armenta & greges; omnia in tali ſimilitudine, in qua ſuper noſtra Tellure; nec alia intercedit differentia, quam quod hæc ſint ex Origine naturali, illa autem ex Origine ſpirituali. Ibi ſæpius vidi Oves & Hircos, & quoque pugnas inter illos, ſimiles illi pugnæ, quæ deſcribitur apud Danielem Cap. VIII; vidi Hircos cum cornibus antrorſum & retrorſum flexis, ac illos cum furore irruentes in Oves; vidi Hircos cum duobus & cum quatuor cornibus, quibus cum vehementia ferierunt Oves; & cum aſpexi, quid eſſet, vidi aliquos rixantes inter ſe de Fide conjuncta Charitati, & de Fide disjuncta a Charitate; ex qua patuit, quod hodierna fides juſtificans, quæ in ſe ſpectata eſt Fides disjuncta a Charitate, ſit Hircus, & quod Fides conjuncta Charitati ſit Ovis.

86. Similes per Hircos intelliguntur apud Sachariam „ *Super Paſtores exarſit ira mea, & ſuper* Hircos *viſitabo*, X: 3. Et apud Ezechielem" *Ecce Ego judicans inter pecudem & pecudem, inter* Arietes *& inter* Hircos; *num parum vobis, paſcuum bonum depaſcitis, etiam reliquum paſcuorum conculcatis pedibus veſtris; cornibus veſtris feritis omnes* Oves *infirmas, donec diſperſeritis illas; ideo ſalvabo* Gregem meum, *ut non ſit amplius in prædam*, XXXIV: 17. 18. 22. ſeq.

XX.

87. *Quod illi, qui in hodierna Fide juſtificante ſe confirmaverunt, in Apocalypſi per Draconem, duas ejus Beſtias, & per Locuſtas, & quod ipſa illa Fides confirmata, ibi per magnam Urbem quæ ſpiritualiter vocatur Sodoma & Ægyptus, ubi bini teſtes occiſi ſunt, ut & per Puteum abyſſi, ex quo Locuſtæ exiverunt, intelligantur.*

## BREVIS ANALYSIS.

88. Quod in ſeptem Capitibus in Apocalypſi actum ſit de Statu perverſo Eccleſiæ apud Reformatos, & in duobus de Statu perverſo Eccleſiæ apud Romano Catholicos, & quod Status utriuſque Eccleſiæ, quales hodie ſunt, damnati ſint, in Explicatione ejus, quæ vocatur APOCALYPSIS REVELATA, non vanis auguriis, ſed plenis convictionibus, oſtenſum eſt. Quod per DRACONEM, de quo in Cap. XII, agitur, intellecti ſint illi in Eccleſia Reformatorum, qui Deum faciunt tres, & Dominum duos, & Charitatem a Fide ſeparant per quod Fidem ſuam faciant ſpiritualem & ſalvificam, & non Charitatem, videatur ibi n: 532 ad 565, & MEMORABILE adjunctum, n. 566. Quod per duas Beſtias, unam e mari, & alteram e terra exſurgentes, de quibus Cap. XIII, illi ulterius deſcribantur, videatur ibi n. 567 ad 610, & MEMORABILE, n: 611. Quod etiam per Locuſtas, quæ ex Puteo abyſſi exiverunt, de quibus Cap. IX, videatur n. 419 ad 442. Quod ipſa illa Fides confirmata intelligatur per magnam Urbem, quæ ſpiritualiter vocatur Sodoma & Ægyptus, ubi duo fideles teſtes occiſi ſunt, de quibus in Cap. XI, videatur n: 485 ad 530, in ſpecie n: 500 ad 503. & MEMORABILE n. 531. Quod etiam per Puteum Abyſſi, ex quo fumus ſicut fornacis magnæ exivit, & obſcuratus eſt ſol & aer, & dein Locuſtæ prodierunt, Cap. IX, videatur n. 421 ad 424.

89. Ut confirmarer & plene convincerer, quod non aliud per Puteum Abyſſi, quam Fides illa Draconica, quæ eſt Fides excluſa ex idea trium Deorum, & ex nulla idea Divinitatis de Humana Natura Chriſti, & vocatur Fides Sola juſtificans, regenerans, vivificans, ſanctificans, & ſalvans, intelligatur, datum mihi eſt intueri in illam Abyſſum, tum loqui cum illis qui ibi ſunt, & quoque videre Locuſtas quæ inde exiverunt; ex qua Autopſia Puteus ille cum Abyſſo in APOCALYPSI REVELATA a me deſcriptus eſt; & quia deſcriptio ex Autopſia teſtatur certitudinem, tranſcribetur hoc inde; hæc ibi talis eſt.

„ Puteus ille, qui eſt ſicut apertura fornacis, apparet in Plaga meridionali; „ & Abyſſus infra eſt multæ extenſionis verſus Orientem; eſt inibi Lux illis, „ ſed ſi illuc immittitur Lux e Cælo, fiunt ibi tenebræ; quare Puteus ille „ clauſus eſt ſuperne. Apparent in Abyſſo mapalia lacunata ſicut ex lateribus, quæ „ diviſa ſunt in cellulas & cellulas, & in quavis eſt menſa, ſuper qua jacent „ chartæ cum aliquibus libris: ad ſuam ſedet quiſque, qui in Mundo confir-

„ ma-

„ maverat Juſtificationem & Salvationem per ſolam fidem, faciendo Charita-
„ tem actum mere naturalem moralem, ac opera ejus modo opera vitæ civi-
„ lis, ex quibus homines aucupare poſſunt præmia in Mundo; ſed ſi facerent
„ illa propter Salutem, condemnant illa, & quidam graviter, quia humana
„ ratio & voluntas eſt in illis. Omnes qui in hac Abyſſo ſunt, fuerunt docti
„ & eruditi in Mundo; & inter illos aliqui Mataphyſici & Scholaſtici, qui
„ præ reliquis ibi æſtimantur. At vero ſors illorum hæc eſt; cum primum il-
„ luc immittuntur, ſedent in primis cellulis; ſed ſicut confirmant fidem, ex-
„ cludendo opera charitatis, relinquunt primas ſedes, ac intrant cellulas pro-
„ pius ad Orientem, ac ita ſucceſſive uſque verſus finem, ubi ſunt illi qui
„ dogmatica illa confirmant ex Verbo; & quia tunc non poſſunt non falſifica-
„ re Verbum, evaneſcunt mapalia illorum, ac vident ſe in deſerto. Eſt
„ quoque Abyſſus infra illam Abyſſum, ubi ſunt illi qui ſimiliter confirmave-
„ runt Juſtificationem & Salvationem per Solam fidem, ſed qui in ſuo Spiritu
„ negaverunt Deum, & corde ſuo riſerunt ad Sancta Eccleſiæ; ibi ſolum
„ rixantur, dilacerant veſtes, ſcandunt menſas, calcitrant, pugnant inter ſe
„ vituperiis; & quia non licet alicui malefacere, minantur ore & pugnis".

90. Ut quoque confirmarer & convincerer, quod illi qui in hodierna fide juſtificante ſe confirmaverunt, etiam per Draconem intelligantur, datum eſt videre plura millia ex illis in Cætum collecta, & tunc e longinquo apparuerunt ſicut Draco cum longa Cauda, quæ viſa eſt obſita ſpiculis ſicut ſentis, quæ ſignificabant falſitates. Semel etiam viſus eſt Draco adhuc major, qui elato dorſo erexit Caudam uſque verſus Cælum cum conatu detrahendi ſtellas inde; ſtellæ ibi ſignificant veritates.

## XXI.

91. *Quod niſi Nova Eccleſia inſtauretur a Domino, nemo poſſit ſalvari; & quod hoc intelligatur per hæc, Niſi abbreviarentur dies iſti, non conſervaretur ulla caro, Matth. XXIV: 22.*

## BREVIS ANALYSIS.

92. Per abbreviare dies illos, intelligitur finem imponere Eccleſiæ hodiernæ, & Novam inſtaurare; nam, ut ſupra dictum eſt, in Cap. XXIV apud Matthæum de ſucceſſivis declinationibus & perverſionibus Eccleſiæ Chriſtianæ, uſque ad Conſummationem & finem ejus, & de Adventu Domini tunc, agitur: quod niſi dies illi abbreviarentur nulla caro ſalivari poſſet, eſt quia fides hodiernæ Eccleſiæ ſuper idea trium Deorum fundata eſt, & cum hac idea nemo poteſt intrare Cælum; proinde nec cum illa fide, quia in omnibus & ſingulis ejus eſt illa idea; ac præterea iſti fidei nihil vitæ ex operibus charitatis ineſt; quod illa fides nec poſſit cum charitate conjungi, ac producere aliquos fructus qui ſunt bona opera, ſupra n. 47 ad 50, oſtenſum eſt. Sunt duo

quæ condunt Cælum in homine, Vera fidei & Bona charitatis; Vera fidei faciunt præsentiam Domini, ac monstrant viam ad Cælum, & Bona charitatis faciunt conjunctionem cum Domino, ac introducunt in Cælum; ac quisque introductus est in luce ibi secundum affectionem veri, & in calore ibi secundum affectionem boni; quod affectio veri sit fides in sua essentia, & quod affectio boni sit charitas in sua essentia, & quod conjugium illarum sit Ecclesia, videatur supra n. 48; Ecclesia & Cælum unum faciunt. Quod illa tria hodie in Ecclesiis super sola fide ædificatis non sint, in præcedentibus plene ostensum est.

93. Aliquoties in Mundo Spirituali loquutus sum cum Justificatoribus hominum per solam fidem, & dixi quod Doctrina illorum sit erronea, & quoque absona, quodque inducat securitatem, cæcitatem, somnum & noctem in rebus spiritualibus, & inde lethum animæ, exhortans ut ab illa desistant; sed responsum tuli, quid desistere, numne excellentia eruditionis Clericorum præ Laicis ab illa dependet; sed retuli quod sic non spectent salutem animarum sed suam excellentiam; & quod quia falsis suis principiis applicuerunt vera Verbi, & sic adulteraverunt illa, sint Angeli Abyssi, vocati Abaddones & Apollyones, Apoc. IX: 11, per quos significantur perditores Ecclesiæ per totalem falsificationem Verbi, videatur Explicatio ibi n. 440, & MEMORABILE, n. 566: sed responderunt, quid hoc, sumusne per scientiam mysteriorum illius Doctrinæ Oracula, & ex illa ut ex adyto reddimus responsa, quare non sumus Apollyones sed Apollines: his indignatus dixi, si estis Apollines, estis etiam Leviathanes, primi vestrum Leviathanes tortuosi, & secundi vestrum Leviathanes oblongi, quos Deus gladio suo duro & magno visitabit, Esai. XXVII: 1; sed ad hæc riserunt: quid significat visitari ac perire gladio, videatur in APOCALYPSI REVELATA, n. 52.

94. Magnum Arcanum, cur nisi Nova Ecclesia instauratur a Domino, nulla caro salvari possit, est hoc; quod quamdiu Draco cum sua turba, in Mundo Spirituum, in quem e Cælo dejectus est, commoratur, tamdiu non possit aliquod Divinum Verum unitum Divino Bono, a Domino pertransire ad homines telluris, quin annihiletur aut pervertatur, unde non salvatio; hocce est quod intelligitur in Apocalypsi per hoc; *Et Draco projectus est in terram, ac Angeli ejus cum illo projecti sunt: væ habitantibus terram & mare, quia descendit Diabolus ad illos habens iram magnam; & persequutus est Mulierem, quæ peperit filium*, Cap. XII: 9, 12, 13: at postquam Draco projectus est in Infernum, Cap. XX: 10, tunc Johannes vidit Cælum novum & Terram novam, & vidit Novam sanctam Hierosolymam descendentem a Deo e Cælo, Apoc. XXI: 1, 2. *seq*: Quid Draco, & quinam Dracones sunt, videatur supra, n. 47.

## XXII.

95. *Quod aperitio & rejectio Dogmatum fidei hodiernæ Ecclesiæ, ac revelatio & receptio Dogmatum fidei novæ Ecclesiæ, in-*

*intelligatur per hæc in Apocalypſi, Dixit Sedens ſuper Throno, ecce Nova omnia faciam, & dixit, ſcribe, quia hæc verba vera & fida ſunt, Cap. XXI: 5.*

## BREVIS ANALYSIS.

96. Hæc dixit Sedens ſuper Throno, hoc eſt, Dominus, ad Johannem, cum vidit Novam Hieroſolymam deſcendentem a Deo e Cælo; quod per Novam Hieroſolymam intelligatur Nova Eccleſia, in Lemmate ſequente demonſtrabitur. Quod falſitates Dogmatum fidei hodiernæ Eccleſiæ primum aperiendæ & rejiciendæ ſint, antequam veritates Dogmatum novæ Eccleſiæ revelantur & recipiuntur, eſt quia non in uno puncto aut momento conveniunt; Dogmata enim hodiernæ Eccleſiæ fundantur ſuper fide, in qua num aliquid Eſſentiale Eccleſiæ ſit neſcitur; Eſſentialia Eccleſiæ, quæ cum fide in unum Deum ſe conjungunt, ſunt Charitas, Bona Opera, Pænitentia, Vita ſecundum Leges Divinas; & quia hæc una cum fide afficiunt & movent voluntatem & cogitationem hominis, conjungunt hominem Domino, & Dominum homini; cum itaque nullum ex illis Eſſentialibus intrant fidem hodiernæ Eccleſiæ in ingreſſu ejus, quem vocant actum juſtificationis, prorſus non ſciri poteſt num illa fides ſit in homine, vel non, proinde num ſit aliquid, vel num ſolum idea; fantur enim, quod homo in illo actu ſit ſicut ſtipes aut lapis, & quod quoad receptionem ejus ne hilum poſſit velle, cogitare, cooperari, imo nec ſe applicare & accommodare, videatur ſupra n. 15 (c) (d); cum itaque tunc nemo poteſt augurari, minus ſcire, num illa fides ſit in illo, & ſic num ſit ſicut flos picturæ apud illum, aut ſicut flos agri in illo; aut num ſit ſicut avis prætervolans illum, aut ſicut avis nidificata in illo, quæritur ex quibus auguriis aut ſignis id cognoſcet; ſi reſpondetur, quod ex charitate, bonis operibus, pænitentia, & legis exercitiis, quæ ſequuntur illam poſtea; & tamen iſti fidei cum illis non eſt aliquod vinculum, quare num non vinculum poſſit eſſe ſignum teſtificans, relinquo ſagacibus inquirendum; fides enim iſta per ſupra nominata non conſervatur nec retinetur, videatur ſupra n. 12. (m), (n). Ex his fit hæc concluſio, quod in Fide hodierna non ſit aliquid Eccleſiæ, & ſic quod illa non ſit aliquid, ſed ſolum idea quod ſit; nunc quoniam illa fides talis eſt, merito rejicienda eſt, imo illa rejicit ſeipſam, ſicut id cui nihil prædicationis ab Eccleſia ineſt.

97. Viciſſim autem Dogmata ſeu Doctrinalia Novæ Eccleſiæ; hæc omnia ſunt Eſſentialia, in quibus ſingulis eſt Cælum & Eccleſia, & ſpectant hoc ut finem, ut homo in Domino ſit, & Dominus in homine, ſecundum Ipſius verba apud Johannem, Cap. XIV: 20. & Cap. XV: 4, 5, 6: nec aliud quam hæc conjunctio eſt Eccleſia Chriſtiana. Ex his paucis clare poteſt videri, quid per hæc Domini verba „ *Dixit Sedens ſuper Throno, ecce Nova omnia faciam, & dixit, ſcribe, quia hæc verba vera & fida ſunt*" intelligitur.

98. Quod Chriſtianus Orbis inciderit in FIDEM, quæ omnia vera & bona

Cæli & Ecclesiæ, usque ad separationem illorum, a se sejunxit, est unica causa, quia distinxerunt Deum in Tres, & Dominum Deum Salvatorem non crediderunt unum cum Deo Patre, & sic Ipsum immediate non adiverunt; cum tamen Ille Solus quoad Humanum suum est Ipsum Divinum Verum, *quod est Verbum, quod fuit Deus apud Deum, ac Vera Lux quæ illuminat omnem hominem; & Caro factus est*, Joh. I: 1, 2, 9, 14. Quod sit ipsa Veritas & sic ipsa Lux, testatur etiam alibi; dicit enim, *Ego sum Lux Mundi*, Joh. VIII: 22. Cap. IX: 5; & alibi „ *Quousque Lucem habetis, credite in Lucem, ut filii Lucis sitis: Ego Lux in Mundum veni, ut omnis qui credit in Me, in tenebris non maneat*, Joh. XII: 36, 46. In Apocalypsi „ *Ego sum Alphab & Omega, Principium & Finis, Primus & Ultimus, Stella Splendida & Matutina*, Cap. XXII: 13, 16: Et apud Matthæum „ *Cum Jesus transformatus est, splenduit Facies Ejus sicut Sol, & Vestimenta Ejus facta sunt sicut Lux*, Cap. XVII: 12: Ex his patet causa, unde idealis illa Fides in Mundum venit, videlicet quia non adiverunt Dominum: & possum ex omni experientia & inde testificatione e Cælo pro certo declarare, quod impossibile sit unicum Theologicum Verum, quod genuinum est, aliunde sumere quam ex Solo Domino, & quod aliunde sumere illud tam impossibile sit, sicut est ex Anglia & Hollandia navigare ad Plejades, & ex Germania equitare ad Orionem in Cælo.

## XIII.

99. *Quod Nova Ecclesia a Domino instauranda, sit Nova Hierosolyma, de qua in Apocalypsi Capp. XXI & XXII, agitur; quæ ibi vocatur Sponsa & Uxor Agni.*

## BREVIS ANALYSIS.

100. Quod Nova Ecclesia per Novam Hierosolymam descendentem a Deo e Cælo, Apoc. XXI, intelligatur; est quia Hierosolyma fuit Metropolis in Terra Canaane, & ibi erat Templum, Altare, Sacrificia fiebant, ita ipse Cultus Divinus, ad quem tribus vicibus in Anno omnis masculus totius terræ mandatus est venire. Tum quia Dominus in Hierosolyma fuit, & docuit in suo Templo, & postea ibi glorificavit Humanum suum; inde est, quod per Hierosolymam significetur Ecclesia. Quod per Hierosolymam intelligatur Ecclesia, constat perspicue ex Propheticis in Veteri Testamento de Ecclesia Nova a Domino instauranda, quod illa ibi dicatur Hierosolyma. Ipsa loca solum adducentur, ex quibus quisque ratione interiore præditus videre potest, quod per illam ibi intelligatur Ecclesia. Sint modo hæc loca inde „ *Ecce Ego creans* CÆLUM NOVUM ET TERRAM NOVAM, *non commemorabuntur priora; ecce Ego* CREATURUS HIEROSOLYMAM *exultationem, & populum ejus lætitiam, ut exultem super* HIEROSOLYMA, *& lætor super populo meo. Tunc lupus & agnus pascent simul: non malum facient in toto Monte sanctitatis meæ*, Esaj. LXV: 17, 18, 19, 25. *Propter Zionem*

*Zionem non tacebo, & propter* HIEROSOLYMAM *non quiescam, usque dum exeat sicut splendor Justitia ejus, ac Salus ejus sicut lampas ardeat. Tunc videbunt Gentes justitiam tuam, & omnes Reges gloriam tuam; & vocabitur tibi Nomen novum, quod os Jehovæ enuntiabit; & eris Corona decoris, & Cidaris Regni in manu Dei tui: beneplacebit Jehovah in te, & terra tua maritabitur. Ecce Salus tua veniet, ecce merces Ejus cum Ipso: & vocabunt illos, Populus sanctitatis, Redempti Jehovæ; & tu vocaberis quæsita Urbs, non deserta,* Esaj. LXII: 1, ad 4, 11, 12. *Excitare, excitare, indue robur tuum Zion, indue vestes decoris tui* HIEROSOLYMA, *Urbs Sanctitatis; quia non addet ut in te veniat amplius præputiatus & immundus: excute te a pulvere, surge, sede* HIEROSOLYMA. *Cognoscet Populus Nomen meum in die illo; nam Ego Ille qui loquor, ecce Me: consolatus Jehovah populum suum, redemit* HIEROSOLYMAM, Esaj. LII: 1, 2, 6, 9. *Jubila filia Zionis, lætare ex omni corde, filia* HIEROSOLYMÆ; *Rex Israëlis in medio tui; ne timeas malum amplius; lætabitur super te cum gaudio, acquiescet in amore tuo, exultabit super te cum jubilo; dabo vos in nomen & laudem omnibus populis terræ*, Zephan. III: 14, ad 17, 20. *Sic dixit Jehovah Redemptor tuus, dicens* HIEROSOLYMÆ, *habitaberis*, Esaj. XLIV: 24, 26. *Sic dixit Jehovah, revertar ad Zionem, & habitabo in medio* HIEROSOLYMÆ; *unde vocabitur* HIEROSOLYMA *Urbs veritatis, & Mons Jehovæ Zebaoth Mons sanctitatis*. Sach. VIII: 3, 20 ad 23. *Tunc cognoscetis, quod Ego Jehovah Deus vester, habitans in Zione Monte sanctitatis, & erit* HIEROSOLYMA *Sanctitas: & fiet in die illo, stillabunt montes mustum, & colles fluent lacte; &* HIEROSOLYMA *sedebit in generationem & generationem*, Joel IV: 17 ad 21. *In die illo erit germen Jehovæ in decus & gloriam; & fiet, relictus in Zione, & residuus in Hierosolyma Sanctus dicetur, omnis scriptus ad vitam in* HIEROSOLYMA, Esaj. IV: 2, 3. *In extremitate dierum erit Mons domus Jehovæ constitutus in Caput montium, nam e Zione exibit Doctrina, & Verbum Jehovæ ex* HIEROSOLYMA, Mich. IV: 1, 2, 8. *In tempore illo vocabunt* HIEROSOLYMAM *Thronum Jehovæ, & congregabuntur omnes gentes ob Nomen Jehovæ* HIEROSOLYMAM, *neque ibunt amplius post confirmationem cordis sui mali*, Jerem. III: 17. *Specta Zionem urbem Festi status nostri, oculi tui videant* HIEROSOLYMAM, *Habitaculum tranquillum, Tabernaculum quod non dissipabitur, non removebuntur clavi ejus in perpetuum, & funes ejus non avellentur*, Esaj. XXXIII: 20. præter etiam alibi, ut Esaj. XXIV: 3. Cap. XXXVII: 32. Cap. LXVI: 10 ad 14. Sach. XII: 3, 6 ad 10. Cap. XIV: 8, 11, 12, 21. Malach. III: 2, 4. Psalm. CXXII: 1 ad 7. Ps. CXXX: 4, 5, 6. Quod per Hierusolymam ibi intelligatur Ecclesia a Domino instauranda, & non Hierosolyma a Judæis habitata, patet ex singulis descriptionis ejus in locis allatis; ut quod Jehovah Deus creaturus Cælum novum & Terram Novam, & quoque tunc Hierosolymam; & quod hæc futura sit Corona decoris & Cidaris regni; quod vocanda sit Sanctitas, & Urbs veritatis, Thronus Jehovæ, Habitaculum tranquillum, Tabernaculum quod non dissipabitur; quod ibi lupus & agnus pascent simul; & dicitur quod ibi montes stillabunt mustum, & colles fluent lacte, & illa sedebit in generationem & generationem; præter plura, etiam de Populo ibi, quod Sanctus, omnis Scriptus ad vitam,

quod dicendi Redempti Jehovæ. Præterea in omnibus illis locis agitur de Adventu Domini, imprimis de Adventu Ipsius Secundo, quando Hierosolyma talis erit, qualis ibi describitur; prius enim non maritata est, hoc est, facta Sponsa & Uxor Agni, sicut de Nova Hierosolyma in Apocalypsi dicitur. Prior Ecclesia seu hodierna intelligitur per Hierosolymam, apud Danielem, & initium ejus ibi describitur per hæc „ *Scito & percipito, ab exitu Verbi, ad usque restituendum & ad ædificandum* HIEROSOLYMAM, *usque ad Messiam Principem, Septimanæ septem; postea Septimanis sexaginta & duabus restituetur, & ædificabitur platea & fossa, sed in angustia temporum*, Cap. IX: 25; at Finis ejus describitur ibi per hæc „ *Tandem super Alem abominationum desolatio, & usque ad consummationem & decisum stillabit super devastationem*, Vers. 27, ibi; ultima hæc sunt quæ intelliguntur per hæc Domini verba apud Matthæum „ *Cum videritis abominationem desolationis prædictam a Daniele Propheta, stantem in loco sancto, qui legit, probe noscat*, Cap. XXIV: 15. Quod per Hierosolymam in supra allatis locis non intellecta sit Hierosolyma a Judæis habitata, constare potest a locis in Verbo, ubi de hac dicitur quod prorsus deperdita sit, & quod destruenda, ut Jerem. V: 1. Cap. VI: 6, 7. Cap. VII: 17, 18 seq. Cap. VIII: 6, 7, 8, seq. Cap. IX: 10, 11, 13, seq. Cap. XIII: 9, 10, 14. Cap. XIV: 16. Thren. I: 8, 9, 17. Ezech. IV: 1 ad fin. Cap. V: 9 ad fin. Cap. XII: 18, 19. Cap. XVI: 6, 7, 8. Cap. XVI: 1 ad 63. Cap. XXIII: 1 ad 40. Matth. XXIII: 37, 38. Luc. XIX: 41 ad 44. Cap. XXI: 20, 21, 22. Cap. XXIII: 28, 29, 30; præter multis aliis in locis; & quoque ubi vocatur Sodoma, Esaj. III: 9. Jerem. XXIII: 14. Ezech. XVI: 46, 48, & alibi.

101. Quod Ecclesia sit Domini, & quod ex Conjugio Spirituali quod est Boni & Veri, Dominus dicatur Sponsus & Maritus, & Ecclesia Sponsa & Uxor, notum est Christianis ex Verbo, imprimis ex his ibi, „ Johannes de Domino dixit, *Qui habet* SPONSAM SPONSUS *est, amicus autem* SPONSI *est, qui stat & audit Ipsum, gaudet ob vocem* SPONSI, Joh. III. 29. *Jesus dixit, quamdiu cum illis est* SPONSUS, *non possunt* FILII NUPTIARUM *jejunare*, Matth IX: 15. Marc. II: 19, 20. Luc. V: 34, 35. *Vidi Urbem sanctam Hierosolymam novam descendentem a Deo e Cœlo, paratam sicut* SPONSAM ORNATAM MARITO SUO, Apoc. XXI: 2. *Angelus dixit ad Johannem, veni & ostendam tibi* SPONSAM AGNI UXOREM, *& e Monte ostendit illi Urbem Sanctam Hierosolymam*, Apoc. XXI: 9. *Venit tempus* NUPTIARUM AGNI, *& Uxor Ipsius paravit se; beati qui ad* CŒNAM NUPTIARUM AGNI *vocati sunt*, Apoc. XIX: 7, 9. *Ego sum Radix & Genus Davidis, Stella splendida & matutina*, SPIRITUS ET SPONSA *dicunt, veni; & qui audit, dicito veni; & qui sitit, venito; & qui vult, sumito aquam vitæ gratis*, Apoc. XXII: 16, 17.

## XXIV.

102. *Quod Fides Novæ Ecclesiæ nequaquam possit una esse cum Fide prioris Ecclesiæ, & quod si una sunt, fiat collisio & conflictio talis, ut pereat omne Ecclesiæ apud hominem.*

BRE-

## BREVIS ANALYSIS.

103. Quod Fides Novæ Eccleſiæ nequaquam poſſit una eſſe cum fide prioris, hoc eſt, hodiernæ Eccleſiæ, eſt cauſa, quia non in uno tertio, & ne quidem in uno decimo conveniunt: Fides prioris Eccleſiæ deſcribitur in Apocalypſi Cap. XII, per Draconem, ac Fides Novæ Eccleſiæ per Mulierem circumdatam ſole, & ſuper cujus capite corona duodecim ſtellarum erat, quam Draco perſequutus eſt, & in quam conjecit aquam ſicut flumen, ut illam abſorberet, videatur ſupra n. 87 ad 90; hi duo non poſſunt in una Urbe eſſe, minus in una Domo, ita non in una Mente ſimul; & ſi una forent, non poteſt aliter, quam ut Mulier, Draconis iræ ac inſaniæ continue expoſita eſſet, ac in timore ne Filium ſuum devoraret; nam dicitur in Apocalypſi Cap. XII, quod Draco ſteterit coram Muliere paritura ut devoraret fœtum ejus, & quod Mulier, poſtquam pepererat, aufugerit in deſertum, Verſ. 1, 4, 6, 14 ad 17. Fides prioris Eccleſiæ eſt fides noctis, nam ratio humana de illa nihil percipit, quare etiam dicitur, quod intellectus ſub obedientia ejus captaretur; imo nec ſcitur num ſit in homine, vel num extra illum, quoniam nihil voluntatis & rationis hominis in illam intrat, imo nec charitas, bona opera, pœnitentia, lex decalogi, & plura, quæ realiter in hominis mente exiſtunt; quod ita ſit, videatur ſupra n. 79, 80. n. 96, 97, 98; Fides autem Novæ Eccleſiæ cum omnibus illis init fœdus conjugiale, & ſe conjungit, & quia ſic eſt in calore cæli, eſt etiam in luce ejus, eſt fides lucis; ac fides noctis & fides lucis non poſſunt una eſſe aliter quam ſicut Noctua & Columba in uno nido; ſic etenim Noctua poneret ſua ova, & Columba ſua, & poſt incubatum excluderentur pulli, ac tunc Noctua pullos columbæ diſcerperet, ac ſuis pullis daret in eſcam; eſt enim Noctua avis vorax. Quod Fides prioris Eccleſiæ & Fides Novæ non poſſint una eſſe, eſt etiam cauſa, quia ſunt heterogeneæ; nam Fides prioris Eccleſiæ naſcitur ex idea trium Deorum, videatur ſupra n. 90 ad 98, at Fides novæ Eccleſiæ ex idea Unius Dei; & quia inter illas inde eſt heterogeneitas, non poteſt aliter, quam ſi una eſſent, fieret colliſio & conflictio talis, ut periret omne Eccleſiæ, hoc eſt, quam ut homo in Rebus ſpiritualibus caderet vel in delirium vel in deliquium, uſque ut vix ſciret quid Eccleſia, aut num Eccleſia ſit. Ex his conſequitur, quod illi, qui Fidem veteris Eccleſiæ apud ſe confirmaverunt, non poſſint niſi cum periculo vitæ ſuæ ſpiritualis amplecti fidem Novæ Eccleſiæ, niſi prius ſingulatim improbaverint, & ſic exſtirpaverint fidem priorem cum ſuis fœtibus aut ovis, hoc eſt, dogmatibus; quæ qualia ſunt, in præcedentibus oſtenſum eſt, imprimis n. 64 ad 69.

104. Simile eveniret, ſi quis amplecteretur Fidem Novæ Eccleſiæ, ac Fidem veteris Eccleſiæ de Imputatione juſtitiæ ſeu meriti Domini retineret; ex hac enim ut Radice omnia ejus dogmata, ut propagines exſurrexerunt. Si hoc fieret, comparative foret, ſicut quis ſe eriperet ex tribus capitibus Draconis, ac intoleretur quatuor reliquis ejus; aut ſicut quis fugeret pardum &

incis

incideret in leonem; aut ſicut exiens e fovea ubi non aqua, caderet in foveam ubi aqua qua ſubmergeretur. Quod ita ſit, videbitur poſt ſequentis Lemmatis expoſitionem, ubi aliquid de Imputatione proferetur.

## XXV.

105. *Quod Romano-Catholici de Imputatione Meriti Chriſti, & de Juſtificatione per fidem ejus, in quam Eccleſia illorum initiata eſt, hodie nihil ſciant, quoniam prorſus obtecta jacet per Externa cultus, quæ ſunt plura: & quod ideo ſi illi quoad partem recedunt ab Externis cultus ſui, ac immediate adeunt Deum Salvatorem Jeſum Chriſtum, & quoque binas Species in ſacra Euchariſtia ſortiuntur, poſſint in Novam Hieroſolymam, hoc eſt, in Novam Eccleſiam Domini præ Reformatis introduci.*

### BREVIS ANALYSIS.

106. Quod Primates & Antiſtites Eccleſiæ Romanæ, in Decreta Synodi Tridentinæ, dum inaugurantur Miniſteriis, jurent, conſtat ex Bulla Pii IV Romani Pontificis, ſuper forma juramenti profeſſionis fidei, An. 1564, id Novemb. ubi hæc: „ *Firma fide credo & profiteor omnia & ſingula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo ſancta Eccleſia Romana utitur; & quæ in ſanctis Canonibus, & Œcumenicis Conciliis, &* PRÆCIPUE A SS. TRIDENTINA SYNODO, *tradita & declarata ſunt, indubitanter recipio; ſic me Deus adjuvet.* Quod etiam juramento ſe conſtringant ad credendum & profitendum illa, quæ Synodus Tridentina de Imputatione meriti Chriſti, & de Juſtificatione per fidem ejus, ſanxit, conſtat ex his in eadem Bulla „ *Omnia & ſingula, quæ de Peccato Originali, & de Juſtificatione in SS. Tridentina Synodo definita & declarata fuerunt, amplector & recipio*; quæ qualia ſunt, ex Collectis ex illa Synodo ſupra, n. 3, 4, 5, 6, 7, 8. videri poteſt. Ex his ut Principiis in Synodo illa ſtabilitis hæc conſectaria ſunt educta, videlicet „ Quod Romano-Catholici ante „ Reformationem prorſus ſimilia, quæ Reformati poſt illam, de Imputa„ tione meriti Chriſti, & de Juſtificatione per fidem ejus, tradiderint, cum „ ſola differentia, quod eandem Fidem cum Charitate & Bonis Operibus con„ junxerint „ ſupra n. 19, 20. Tum, Quod Reformatores Anteſignani, „ Lutherus, Melancton & Calvinus, omnia dogmata de Imputatione meriti „ Chriſti, & de Juſtificatione per fidem, qualia tunc erant & fuerant apud „ Romano-Catholicos retinuerint, ſed quod charitatem & bona opera ſepa„ verint a fide illa, & declaraverint illa non ſalvifica, propter finem, ut a „ Romano-Catholicis quoad ipſa Eſſentialia Eccleſiæ, quæ ſunt Fides & „ Charitas, divellerentur „ ſupra n. 21, 22, 23. Porro „ Quod tamen „ Reformatores anteſignani illi, fidei ſuæ adjunxerint bona Opera, & quoque „ conjunxerint illa, ſed in homine ut in ſubjecto paſſivo. Romano-Catholici autem

„ autem in homine ut in ſubjecto activo; & quod tamen inter hos & illos „ quoad fidem, opera, & merita, actualiter ſit conformitas „ videatur ſu„ pra, n. 24 ad 29. Ex oſtenſis etiam patet, quod fides illa ſit fides jurata apud Romano-Catholicos, æque ſicut eſt apud Reformatos.

107. Attamen fides illa hodie apud Romano-Catholicos in tantum oblitera-ta eſt, ut vix ſciant jotham de illa, non quod aliquo Decreto Papali ſit repro-bata, ſed quia contecta eſt per Externa cultus, quæ in genere ſunt, Adora-tio Vicarii Chriſti, Invocatio Sanctorum, Veneratio Imaginum, ac inſuper talia, quæ ut Sancta afficiunt ſenſus, ſicut Miſſæ in Lingua non intellecta, Veſtes, Lumina, Thymiamata, Pompæ proceſſionum; tum Myſtica de Eu-chariſtia; per hæc & ſimilia plura, Fides juſtificans per Imputationem meri-ti Chriſti, tametſi primitiva Eccleſiæ Romanæ, ita e conſpectu remota, & ex memoria extracta eſt, ſicut id quod infoſſum eſt terræ, ac ſuperintectum lapide, & ad quem cuſtodiæ a monachis, ne effodiatur & revocetur, poſitæ ſunt; nam ſi revocaretur, fides in potentiam ſupranaturalem eorum remitten-di peccata, ita juſtificandi, ſanctificandi, & ſalvandi, recederet, & cum illa ſanctitas, ſupereminentia, ac opulenti quæſtus illorum.

108. Quod Romano Catholici poſſint in Novam Hieroſolymam, hoc eſt, Novam Eccleſiam, præ Reformatis introduci, eſt Causa Prima, quia Fides juſtificationis per Imputationem meriti Chriſti, quæ eſt fides erronea, & non poteſt una eſſe cum fide Novæ Eccleſiæ, n. 102 ad 104, apud illos eſt obli-terata, imo prorſus obliteranda; Reformatis autem inſidet illa ſicut inſculpta, quia eſt principalis Eccleſiæ illorum. Causa Secunda, quia apud Romano Catholicos eſt idea Divinæ Majeſtatis in Humano Domini, plus quam apud Reformatos, ut manifeſte patet ex ſanctiſſima veneratione Hoſtiarum. Causa Tertia eſt, quia illis ſunt Charitas, Bona opera, Pœnitentia, ſtudium novæ vitæ, Eſſentialia ſalutis, & hæc etiam ſunt Eſſentialia Novæ Eccleſiæ; aliter vero Reformatis, in ſola fide confirmatis, apud hos eadem illa non ut eſſentialia nec ut formalia ingrediuntur fidem, & inde nihil conferunt ad ſalutem. Illæ tres Cauſæ ſunt, quod ſi Romano-Catholici adeunt Ipſum Deum Salvatorem non mediate ſed immediate; & quoque ſi binas ſpecies in Sacra Euchariſtia ſortiuntur, præ Reformatis illis fidem vivam loco fidei mortuæ recipiant, & ad portas Novæ Hieroſolymæ ſeu Novæ Eccleſiæ a Domino per Angelos ferantur, & cum gaudio & jubilo introducantur.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

109. Imputatio juſtitiæ ſeu meriti Chriſti hodie ſicut Anima intrat univer-ſam Theologiam in Chriſtiano Reformato Orbe; Fides, quæ unicum ſalutis medium ibi eſt, ex Imputatione dicitur juſtitia coram Deo, videatur ſupra n. 11. (d); & homo ex imputatione per illam fidem induit juſtitiæ dona, ſi-cut Rex inſignia dum electus eſt. Attamen Imputatio ex ſola nominatione quod juſtus ſit, nihil efficit, nam influit modo in actus, & non operatur in homine, niſi Imputatio juſtitiæ etiam ſit Applicatio juſtitiæ per communica-

tionem & sic inductionem; hoc sequitur ex effectibus ejus, qui perhibentur esse Remissio peccatorum, Regeneratio, Innovatio, Sanctificatio, & sic Salvatio; & adhuc plus, quia dicitur quod per Fidem illam Christus habitet, & Spiritus Sanctus operetur in homine, & quod inde non modo nominentur justi, sed etiam quod sint justi: „ Quod in Renatis non modo dona Dei, sed etiam Ipse Christus, imo tota Sancta Trinitas per fidem habitet, sicut in Templis suis, videatur supra n. 15, (b): Et quod homo tam quoad personam, quam quoad opera, sit & nominetur justus, supra n. 14. (c): Ex quibus indubitato sequitur, quod per Imputationem justitiæ Christi intelligatur Applicatio & per hanc Inductio ejus, ex qua homo sit ejus particeps. Nunc quia Imputatio est Radix, Principium, & Fundamentum Fidei & omnium operationum ejus ad salutem, & inde sicut Sanctuarium & Adytum in Templis Christianis hodie, interest ut de IMPUTATIONE loco Corollarii hic aliquid subjungatur: sed hoc fiet articulatim in hoc ordine: I. Quod cuivis post mortem imputetur malum in quo est, similiter bonum. II. Quod Inductio unius boni in alterum impossibilis sit. III. Quod Fides imputationis seu applicationis justitiæ seu meriti Christi, quia impossibilis, sit Fides imaginaria.

I EO. QUOD CUIVIS POST MORTEM IMPUTETUR MALUM IN QUO EST, SIMILITER BONUM. Hoc ut in aliqua evidentia pateat, lustrabitur in hac distinctione, 1. Quod unicuique sit vita propria. 2. Quod unumquemvis sua vita post mortem maneat. 3. Quod Malo tunc imputetur malum ejus vitæ, & quod Bono imputetur bonum ejus. PRIMUM, *Quod unicuique sit vita propria*, ita distincta ab alterius, notum est: est enim perpetua varietas, & non aliquid idem, inde est cuivis suum proprium: hoc patet manifeste ex Facie bus hominum, quod non detur unius facies absolute similis alterius, nec dari possit in æternum, quia non dantur animi similes, & ex animis sunt facies, est enim facies, ut dicitur, typus animi, ac animus ducit suam originem & formam ex vita. Nisi homini propria vita foret, sicut est proprius animus & propria facies, non foret ei aliqua vita post mortem separata ab alterius; imo nec foret Cælum, hoc enim ex perpetuis aliis consistit; hujus forma unice est ex varietatibus animarum & mentium in talem ordinem dispositis, ut unum faciant; ac unum faciunt ex Uno, cujus Vita est in omnibus & singulis ibi, sicut Anima est in homine; quod nisi foret, dispergeretur Cælum, quia dissolveretur forma. Unus ex Quo est vita omnibus & singulis, & ex Quo cohaeret forma, est Dominus. SECUNDUM, *Quod unumquemvis sua vita post mortem maneat*, notum est in Ecclesia ex Verbo, & ex hac ibi „ Venturus est Filius hominis, & tunc reddet unicuique secundum facta ejus, Matth. XVI: 27. Vidi libros apertos, & judicati sunt omnes secundum Opera illorum, Apoc. XXI: 12, 13. In die judicii reddet Deus unicuique secundum Opera ejus, Rom. II: 6. II Corinth. V: 10. Opera, secundum quæ reddetur unicuique, sunt vita, quia vita facit illa, & secundum vitam suam. Quia datum est mihi per plures annos una esse cum Angelis, & loqui cum advenis e Mundo, pro certo testari possum, quod unusquisque exploretur ibi, qualis ei vita fuit, & quod vita, quam contraxit in Mundo, maneat illum in æternum: Loquutus

sum cum illis, qui ante sæcula vixerunt, quorum vita ex Historicis mihi nota fuit, & cognovi similem descriptioni: & audivi ab Angelis, quod vita alicujus post mortem non possit mutari, quia organizata est secundum amorem & fidem ejus, & inde opera: & quod si mutaretur, discerperetur organizatio, quod nusquam fieri potest; tum quod mutatio organizationis detur unice in corpore materiali, & prorsus non dabilis in corpore spirituali, postquam prius rejectum est. Tertium, *Quod Malo tunc imputetur malum ejus vitæ, & quod Bono imputetur bonum ejus*; imputatio mali post mortem non est accusatio, incusatio, inculpatio & judicatio, sicut in Mundo; sed ipsum malum hoc facit; mali enim ex suo libero separant se a bonis, quoniam non possunt simul esse; jucunda amoris mali averfantur jucunda amoris boni, ac jucunda ex unoquovis exhalant, sicut odorata ex omni vegetabili in terris; non enim absorbentur & occultantur a corpore materiali sicut prius, sed libere in auram spiritualem effluunt ex amoribus illorum; & quia malum ibi sentitur sicut in suo odore, est hoc quod accusat, incusat, inculpat & judicat; non coram aliquo judice, sed coram unoquovis, qui in bono est; & hoc est, quod intelligitur per imputationem. Imputatio boni fit similiter, hoc fit illis qui in Mundo agnoverunt, quod omne bonum in illis fuerit & fit a Domino, & nihil a se: hi postquam præparati sunt, mittuntur in jucunda interiora boni sui, & tunc aperitur illis via in Cælum ad Societatem, ubi ejus jucunda homogenea sunt; hoc fit a Domino.

111. II. Quod inductio unius boni in alterum impossibilis sit. Hujus evidentia etiam videri potest ex his in ordine. 1. Quod unusquisque homo nascatur in malo. 2. Quod in bonum inducatur per regenerationem a Domino. 3. Quod fit per fidem in Dominum, & per vitam secundum præcepta Ipsius. 4. Quare bonum unius non potest per applicationem induci in alterum, & sic imputari. Primum, *Quod unusquisque homo nascatur in malo*, in Ecclesia notum est. Dicitur quod hoc Malum sit hæreditario ex Adamo; sed est ex parentibus; ab his ducit quisque indolem, quæ est Inclinatio; quod ita sit, experientia & ratio convincunt; similitudines enim parentum quoad facies, genios, mores, in proximis liberis, & in posteris ex his, existant; inde a multis noscuntur familiæ, & quoque judicatur de illorum animis; quare mala, quæ ipsi parentes contraxerunt, sub specie inclinationis ad illa per traducem inferuntur posteritati; inde sunt mala, in quæ homines nascuntur. Secundum, *Quod in bonum inducatur per regenerationem a Domino*; quod fit Regeneratio, & quod nisi quis regeneratur, non possit ingredi in Cælum, patet clare a Domini verbis apud Joh. III: 3, 5. Quod Regeneratio sit purificatio a malis, & sic renovatio vitæ, non potest in Christiano Orbe latere, nam ratio etiam hoc videt, dum agnoscit quod unusquisque nascatur in malo, & quod malum non possit ablui & abstergi, sicut sordes per saponem & aquam, sed per resipiscentiam. Tertium, *Quod hoc fiat per fidem in Dominum, & per vitam secundum præcepta Ipsius*. Præcepta regenerationis sunt quinque, quæ videantur supra n. 43, 44; inter quæ sunt hæc, Quod fugienda sint mala quia sunt dia-

diaboli & a diabolo; Quod facienda ſint bona quia ſunt Dei & a Deo; & quod adeundus ſit Dominus ut adducat ad faciendum ita: Conſulat quiſque ſe, & expendat, num aliunde homini poſſit eſſe bonum, & ſi non bonum, non ei eſt ſalus. QUARTUM, *Quare bonum unius non poteſt per applicationem induci in alterum, & ſic imputari:* ex ſupradictis conſequitur, quod homo per Regenerationem innovetur quoad ſpiritum, & quod hoc fiat per fidem in Dominum, & ſimul per vitam ſecundum præcepta Ipſius: quis non videt quod hæc innovatio non fieri poſſit niſi a tempore in tempus; vix aliter quam ſicut ſucceſſive radicatur & creſcit arbor a ſemine, & perficitur; illi qui aliter percipiunt regenerationem & innovationem, non ſciunt aliquid de ſtatu hominis, nec aliquid de malo & bono, quod hæc duo ſint prorſus oppoſita, & quod bonum non poſſit implantari, niſi quantum removetur malum; nec ſciunt, quod quamdiu quis in malo eſt, averſetur bonum quod in ſe bonum eſt; quare ſi bonum unius applicaretur & ſic induceretur in quendam qui in malo eſt, foret ſicut Agnus conjiceretur coram Lupo, aut ſicut margarita alligaretur naribus porci. Ex his patet, quod inductio unius boni in alterum ſit impoſſibilis.

112. III. QUOD FIDES IMPUTATIONIS SIU APPLICATIONIS JUSTITIÆ SEU MERITI CHRISTI, QUIA IMPOSSIBILIS, SIT FIDES IMAGINARIA. Quod cuique imputetur malum in quo eſt, ſimiliter bonum, ſupra n. 110, demonſtratum eſt; inde conſtat, quod ſi per imputationem intelligitur applicatio & inde inductio unius boni in alterum, ſit cogitatio imaginaria. In Mundo ab hominibus poſſunt Merita quaſi tranſcribi, hoc eſt, benefieri liberis propter parentes, aut amicis alicujus clientis ex favore; at bonum meriti non poteſt inſcribi animabus illorum, ſed ſolum extrinſecus adjungi: ſimile non dabile eſt cum hominibus quoad vitam eorum ſpiritualem; hæc, ut ſupra oſtenſum eſt, implantanda eſt, quæ ſi non implantatur per vitam ſecundum præcepta Domini ſupra memorata, homo in malo, in quo natus eſt, manet; antequam hoc factum eſt, non poteſt aliquod bonum contingere illum, quod ſi tangit, illico repercutitur & reſilit, ſicut globulus elaſticus cadens in petram, aut abſorbetur ſicut adamas injectus paludi. Homo non reformatus quoad ſpiritum eſt ſicut panthera aut ſicut bubo, & comparari poteſt ſenti & urticæ, at homo regeneratus eſt ſicut ovis aut ſicut columba, & comparari poteſt oleæ & viti; cogitate, quæſo, ſi lubet, quomodo poteſt homo panthera converti in hominem ovem, aut bubo in columbam, aut ſentis in oleam, aut urtica in vitem, per aliquam imputationem, ſi per illam intelligitur tranſcriptio; numne, ut converſio fiat, ferimum pantheræ & bubonis, aut noxium ſentis & urticæ, prius auferendum eſt, & ſic vere humanum & innocuum implantandum eſt: quomodo hoc fit, etiam docet Dominus apud Johannem, Cap. XV: 1 ad 7.

113. His adjicietur hoc; dicitur in Eccleſia, quod nemo poſſit implere legem, & eo minus, quoniam qui prævaricatur contra unum præceptum Decalogi, prævaricatur contra omnia; verum hæc loquutionis formula non eſt qualis ſonat; nam hoc ita intelligendum eſt, quod qui ex Propoſito aut Confirmato

agit,

agit contra unum præceptum, ille agat contra reliqua, quoniam ex propoſito aut confirmato agere, eſt prorſus negare quod peccatum ſit, & qui negat peccatum, ille nihili pendit ſi contra præcepta reliqua agit: quis non ſcit, quod qui fornicator eſt, non ideo ſit homicida, fur, & falſus teſtis, nec velit eſſe; at qui adulter ex propoſito & confirmato eſt, hic nihili pendit omnia quæ religionis ſunt, ita nec homicidia, furta, & falſa teſtimonia, & quod ab his non abſtineat, quia peccata ſunt, ſed quia timet legem & famam: Simile eſt, ſi quis ex propoſito aut confirmato contra unum aliud præceptum Decalogi agit, quod etiam contra reliqua agat, quia non aliquid reputat peccatum. — Conſimile eſt apud illos qui in bono a Domino ſunt; hi ſi ex Voluntate & Intellectu, ſeu ex propoſito & confirmato, abſtinent ab uno malo, quia peccatum eſt; abſtinent ab omnibus, & plus adhuc ſi abſtinent a pluribus: ut primum enim aliquis ex propoſito aut confirmato ab aliquo malo, quod peccatum eſt, abſtinet, ille a Domino in propoſito abſtinendi a reliquis tenetur; quare ſi ex inſcitia, aut ex prævalente aliqua corporis concupiſcentia, malum facit, uſque hoc non ei imputatur, quia id ſibi non propoſuit, nec apud ſe confirmat. Homo in hoc propoſitum venit, ſi ſemel aut bis in anno explorat ſe, & a malo, quod deprehendit apud ſe, reſipiſcit; aliter qui nuſquam explorat ſe. Hæc confirmare licet per hoc; in Mundo Spirituali offendi plures, qui in Mundo naturali ſimiles aliis vixerant, ſplendide ſe veſtiendo, laute epulando, cum fœnore ſicut alii negotiando, ludos ſcenicos ſpectando, de amatoriis ſicut ex libidine jocando, præter conſimilia alia; & tamen Angeli quibusdam inculpabant illa ut mala peccati, & quibusdam non imputabant illa ut mala, & hos declarabant inſontes, illos autem ſontes: ad interrogationem cur ita, cum tamen parilia fecerant, reſpondebant, quod ex propoſito, intentione & fine omnes contemplentur, & ſecundum illa diſtinguant; & quod ideo illos, quos finis aut excuſat aut damnat, ipſi excuſent aut damnent, quoniam finis boni eſt omnibus in Cælo, & finis mali eſt omnibus in inferno. Ex his nunc pateſcit, quis eſt cui imputatur peccatum, & quis cui non imputatur.

114. His adjicientur Duo MEMORABILIA ex APOCALYPSI REVELATA, deſumpta, PRIMUM hoc: Subito correptus ſum morbo pæne lethali; totum caput ingravatum erat; immiſſus fuit fumus peſtilentus ex magna urbe, quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma & Ægyptus, Apoc. XI: 8: fui ſemimortuus cum ſævo dolore, exſpectavi extremum; ita jacui in lecto per tres dies & dimidium; Spiritus meus talis factus eſt, & ex illo Corpus meum. Tunc audivi circum me voces dicentium, en jacet in platea Urbis noſtræ mortuus, qui prædicavit Pœnitentiam in remiſſionem peccatorum, & Solum Chriſtum hominem; & interrogabant aliquos e Clero, num ille ſepultura dignus ſit, ſicut de binis teſtibus in Urbe illa occiſis, Cap. XI: 8, 9, 10, & dixerunt quod non, jaceat, ſpectetur, abibant, redibant, ſubſannabant; ex veritate ita mihi contigit; cum explicabatur illud Caput Apocalypſeos. Auditæ ſunt ab illis voces graves, imprimis hæ; quomodo poteſt Pœnitentia agi ſine fide, quomodo poteſt Chriſtus homo adorari ut Deus; dum gratis ſalvamur abſque ullo noſtro meri-

to; quid opus tunc niſi Sola Fide, Quod Deus Pater miſerit Filium, qui damnationem legis auferret, imputaret nobis meritum Ipſius, & ſic coram ſe juſtificaret nos, & abſolveret a peccatis, & tunc daret Spiritum Sanctum, qui omne bonum in nobis operetur; annon hæc ſunt ſecundum Scripturam, & quoque ſecundum Rationem; his Cohors adſtans adplaudebat. Audivi illa, nec potui reſpondere, quia jacui pene mortuus. Aſt poſt tres dies & dimidium ſpiritus meus convaluit, & quoad illum exivi e platea in Urbem, & dixi iterum, Pœnitentiam agite, & credite in Chriſtum, & remittentur vobis peccata, & ſalvabimini; & ſi non, peribitis; annon Ipſe Dominus prædicavit pœnitentiam in remiſſionem peccatorum, ac ut crederent in Ipſum; annon mandavit Diſcipulis ut idem prædicarent; annon plenaria ſecuritas vitæ ſequitur veſtræ fidei dogma; ſed dixerunt, quid garris, Filiusne ſatisfecit, Paterne id imputavit, & nos, qui credidimus hoc, juſtificavit; ducimur ſic Spiritu gratiæ, quid tunc in nobis peccatum, quid tunc cum nobis mors; capis hoc Evangelium præco peccati & pœnitentiæ? Sed tunc exivit vox e Cælo, dicens, quid Fides impœnitentis niſi mortua; venit finis, venit finis ſuper vos ſecuros, in oculis veſtris inculpatos, in fide veſtra juſtificatos, diabolos. Et ſubito tunc barathrum aperiebatur in medio illius Urbis, ſeque dilatavit, ac domus ſuper domum cecidit, & abſorpti ſunt; & mox e lata voragine ebullivit aqua, & inundavit vaſtitatem.

Quando ita demerſi ſunt & viſi inundati, deſideraham ſcire ſortem illorum in profundo; & dictum eſt mihi e Cælo, videbis & audies; & tunc coram oculis meis diſparatæ ſunt aquæ, quibus inundati viſi ſunt, quia aquæ in Mundo Spirituali ſunt Correſpondentiæ, & inde apparent circum illos qui in falſis ſunt; & tunc mihi viſi ſunt in Fundo arenoſo, ubi ſtrues e lapidibus congeſtæ, inter quas currebant, & lamentabantur quod ex magna ſua Urbe conjecti eſſent; ac vociferabantur & clamabant, cur hoc nobis; annon ſumus per Fidem noſtram mundi, puri, juſti, ſancti; & alii, annon ſumus per Fidem noſtram mundati, purificati, juſtificati & ſanctificati; & alii, annon ſumus per Fidem noſtram tales facti, ut coram Deo Patre, & coram tota Trinitate reputemur & videamur, & coram Angelis declaremur ſicut mundi, puri, juſti & ſancti; ſumusne reconciliati, propitiati, expiati, & ſic exſoluti, ablati & abſterſi a peccatis; ſublatane eſt a Chriſto damnatio legis; cur itaque ut damnati huc dejecti ſumus: audivimus ab audaci præcone peccati in magna noſtra Urbe, *Credite in Chriſtum, & agite pœnitentiam*; annon credidimus in Chriſtum, cum in meritum Ipſius; & annon egimus pœnitentiam, cum confeſſi ſumus quod ſimus peccatores, cur itaque hoc nobis evenit. Sed tunc audita eſt vox ad illos a latere; an ſcitis ullum peccatum in quo eſtis, an uſquam exploraviſtis vos, an ideo fugiſtis aliquod malum ut peccatum contra Deum, & qui non fugit illud, eſt in illo; eſtne peccatum diabolus, quare eſtis de quo Dominus dicit „ *Tunc incipietis dicere, edimus coram Te & bibimus, & in plateis noſtris docuiſti; ſed dicet, dico vobis, non novi vos unde eſtis, diſcedite a Me omnes operarii iniquitatis*, Luc. XIII. 26, 27; ut &. de quibus Matth. VII. 22,

23;

23. abite ergo, quisque in suum locum, videtis extra in cavernas, intrate illuc, & dabitur cuique vestrum suum opus ad faciendum, & tunc cibus ad mensuram operis; si non, usque fames urgebit vos ad intrandum.

Postea vox e Cælo facta est ad quosdam super terra ibi, qui extra Urbem illam magnam fuerunt, de quibus etiam Vers. 13. in illo Capite, dicens alte, cavete vobis, cavete vobis a consociatione cum similibus; annon potestis intelligere, quod mala, quæ vocantur peccata & iniquitates, immundum & impurum reddant hominem; quomodo potest homo ab illis mundari & purificari, quam per actualem pœnitentiam, & per fidem in Dominum Deum Salvatorem. Actualis pœnitentia est, explorare se, cognoscere & agnoscere sua peccata, se reum facere, confiteri illa coram Domino, implorare opem & potentiam resistendi illis, & sic desistere ab illis, ac novam vitam agere, & hæc omnia sicut a vobis: facite ita semel aut bis in anno, quando accedtis ad Sanctam Communionem; & postea cum peccata, quorum reos vos fecistis, recurrunt, tunc vobiscum dicatis, non volumus illa, quia sunt peccata contra Deum; hæc est Pœnitentia actualis. Quis non potest intelligere, quod qui non explorat se, & videt sua peccata, maneat in illis; omne enim malum a nativitate jucundum est, jucundum enim est vindicare, scortari, deprædare, blasphemare; annon jucundum facit, ut non videantur; & si forte dicitur quod peccata sint, annon ex jucundo illorum excusatis illa, imo per falsa confirmatis, & persuadetis vobis, quod peccata non sint; & sic manetis in illis, & postea facitis illa plus quam prius; & hoc eo usque, dum non scitis quid peccatum, imo num sit peccatum. Aliter fit cuivis qui pœnitentiam actualiter agit, ille mala sua, quæ cognovit & agnovit, vocat peccata, ac ideo incipit illa fugere & averfari, ac jucundum illorum sentire injucundum: & quantum hoc fit, tantum videt & amat bona, & tandem sentit horum jucunda, quæ sunt jucunda Cæli: Verbo, quantum quis rejicit diabolum a tergo, tantum adoptatur a Domino, & ab Ipso docetur, ducitur, detinetur a malis, & tenetur in bonis: hæc via & non alia est ab inferno ad Cælum. Hoc mirabile est, quod quædam insita renuentia, tergiversatio & aversatio pro Pœnitentia actuali sit Reformatis, quæ tanta est, ut non possint adigere semet ad explorandum se, & ad videndum sua peccata, & ad confitendum illa coram Deo; est sicut horror invadat illos cum id intendunt; quæsivi permultos in Mundo Spirituali de eo, & dixerunt omnes, quod hoc sit supra vires illorum. Cum audiverunt, quod Pontificii usque hoc faciant, hoc est, quod explorent se, & palam confiteantur peccata sua coram Monacho, valde mirati sunt, & insuper quod Reformati non possint id facere in occulto coram Deo; tametsi id illis æque injunctum est antequam ad Sacram Cœnam accedunt; & quidam ibi inquisiverunt, cur hoc, ac invenerunt, quod Sola Fides talem impœnitentiæ Statum, & tale Cor induxerit: & tunc datum est illis videre, quod illi ex Pontificiis, qui adeunt & adorant Christum, & non adorant sed modo honorant Primates & Antistites Ecclesiæ suæ, salventur.

Post hæc auditum est sicut tonitru, & vox loquens e Cælo, dicens, miramur; die-

die ad Cætus Reformatorum, Credite in Christum, & agite pænitentiam, & servabimini; & dixi, ac insuper, estne BAPTISMUS SACRAMENTUM PÆNITENTIÆ, & inde Introductio in Ecclesiam; quid aliud Patrini pro baptizando spondent, quam ut abdicet diabolum & ejus opera. Estne SACRA CÆNA SACRAMENTUM PÆNITENTIÆ, & inde Introductio in Cælum; dicituine ad Communicantes, ut omnino ante accessionem pænitentiam agant. Estne DECALOGUS DOCTRINA UNIVERSALIS ECCLESIÆ CHRISTIANÆ DOCENS PÆNITENTIAM; diciturne ibi in sex præceptis Secundæ Tabulæ, hoc & illud malum non facies, & non dicitur hoc & illud bonum facies: inde potestis scire, quod quantum quis malum fugit, tantum bonum amet; & quod prius non sciatis quid bonum, nec quid malum.

115. ALTERUM MEMORABILE est hoc: Quondam mihi dixit Angelus; vis videre clare quid Fides & Charitas, ita quid Fides separata e Charitate, & quid Fides conjuncta Charitati, & demonstrabo ad oculum; respondi, monstra; & dixit, cogita pro Fide & Charitate Lucem & Calorem, & clare videbis: Fides enim in sua essentia est Veritas quæ Sapientiæ, & Charitas in sua essentia est Affectio quæ Amoris, ac Veritas Sapientiæ in Cælo est Lux, & Affectio amoris in Cælo est Calor; Lux & Calor, in quibus sunt Angeli, non aliud sunt: exinde videre potes clare, quid Fides separata a charitate, & quid Fides conjuncta charitati. Fides separata a charitate est sicut Lux hyemalis, ac Fides conjuncta charitati est sicut Lux vernalis; Lux hyemalis, quæ est Lux separata a Calore, quæ quia est conjuncta frigori, prorsus denudat arbores, etiam a foliis, enecat gramen, indurat terram, & congelat aquas: Lux autem vernalis, quæ est Lux conjuncta calori, vegetat arbores, primum in folia, tum in flores, & denique in fructus, aperit & emollit terram ut producat gramina, herbas, flores, & frutices, & quoque solvit glaciem, ut fluant e fontibus aquæ: prorsus simile est cum Fide & Charitate; Fides separata a charitate mortificat omnia; & Fides conjuncta charitati vivificat omnia: Vivificatio hæc, & Mortificatio illa, ad vivum possunt videri in Mundo nostro Spirituali, quia hic est Fides Lux & Charitas Calor; ubi enim Fides conjuncta charitati est, ibi sunt Horti paradisiaci, Floreta, & Vireta in sua amænitate secundum conjunctionem; at ubi Fides separata a charitate est, ibi ne quidem gramen est, & ubi viride, est id ex vepribus & sentibus. Erant tunc non procul aliqui ex Clero, quos Angelus vocabat Justificatores & Sanctificatores hominum per solam fidem, & quoque Arcanistas; eadem hæc diximus illis, & demonstravimus usque ut viderent quod ita sit; & cum quæsivimus, annon ita, averterunt se, & dixerunt, non audivimus; at clamavimus ad illos dicentes, audite itaque adhuc, tunc ponebant ambas manus ante aures suas, ac vociferati, non volumus audire.

CLAU-

## CLAUSULA.

### Ex JEREMIA, Cap. VII: 2, 3, 4, 9, 10, 11.

*Sta in porta Domus Jehovæ, & proclama ibi verbum hoc: ſic dixit Jehovah Zebaoth Deus Iſraelis, bonas reddite vias veſtras, & opera veſtra, ne confidite vobis ſuper verbis mendacii, dicendo, Templum Jehovæ, Templum Jehovæ, Templum Jehovæ hic: (hoc eſt, Eccleſia): num furando, occidendo, & mœchando, ac jurando per mendacium, deinde venietis & ſtabitis coram Me in Domo hac, ſuper qua nominatur Nomen meum, & dicetis, erepti ſumus, dum facitis omnes abominationes illas. Num Spelunca latronum facta eſt Domus hæc: etiam Ego, ecce, vidi, dictum Jehovæ.*

116. Fides Novi Cæli et Novæ Ecclesiæ, in universali forma, hæc est; Quod Dominus ab æterno, Qui est Jehovah, in Mundum venerit, ut subjugaret Inferna, & glorificaret Humanum suum; & quod absque eo nemo mortalium salvari potuerit, & quod salventur qui credunt in Ipsum.

Dicitur in universali forma, quia hoc est universale fidei, ac universale fidei est quod in omnibus & singulis erit. Universale fidei est, quod Deus sit unus Essentia & Persona, in Quo Trinitas, & quod Dominus Deus Salvator Jesus Christus sit Ille. Universale fidei est, quod nullus mortalium salvari potuerit, nisi Dominus in Mundum venerit. Universale fidei est, quod in Mundum venerit, ut removeret Infernum ab homine, & removit illud per Pugnas contra illud, & per Victorias super illud; ita subjugavit illud, & redegit illud in ordinem, & sub suam obedientiam. Universale fidei est, quod in Mundum venerit, ut Humanum, quod in Mundo suscepit, glorificaret, hoc est, uniret Divino a Quo; sic Infernum ab Ipso subjugatum in ordine & sub obedientia sua in æternum tenet. Quoniam utrumque hoc non potuit fieri quam per Tentationes in Humanum suum admissas usque ad ultimam illarum, ac ultima illarum fuit Passio crucis, ideo illam subivit. Hæc sunt Universalia fidei de Domino.

Universale Fidei Christianæ a parte hominis est, ut credat in Dominum, nam per credere in Ipsum fit conjunctio cum Ipso, per quam Salvatio; credere in Ipsum, est fiduciam habere, quod Ipse salvet: & quia fiduciam habere non potest, nisi qui bene vivit, ideo etiam hoc per credere in Ipsum intelligitur.

117. Fides Novi Cæli et Novæ Ecclesiæ in particulari forma, hæc est. Quod Jehovah Deus sit Ipse Amor & Ipsa Sapientia, seu quod sit Ipsum Bonum & Ipsum Verum, & quod Ipse quoad Divinum Verum, quod est Verbum, & quod fuit Deus apud Deum, descenderit & assumserit Humanum, propter finem ut in ordinem redigeret omnia quæ in Cælo, & omnia quæ in Inferno, & omnia quæ in Ecclesia erant; quoniam tunc potentia Diaboli, hoc est, Inferni, valuit super potentiam Cæli, & in Terris potentia mali super potentiam boni, & inde totalis damnatio ante fores stetit & imminuit: hanc futuram Damnatio-

nem Jehovah Deus per Humanum ſuum, quod erat Divinum Verum, ſuſtulit, & ſic Angelos & Homines redemit; ac poſtea in ſuo Humano univit Divinum Verum Divino Bono, & ſic rediit in ſuum Divinum, in Quo ab æterno fuit, una cum glorificato Humano. Hæc intelliguntur per hoc apud Johannem *Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; & Verbum Caro factum eſt*, Cap. I: 1, 14; & per hoc apud Eundem „ *Exivi a Patre, & veni in Mundum, iterum relinquo Mundum, & vado ad Patrem*, Cap. XVI: 28. Ex his patet, quod abſque Adventu Domini in Mundum, nullus ſalvari potuerit. Simile eſt hodie, quare nili Dominus iterum in Mundum veniat in Divino Vero, quod eſt Verbum, nec quiſquam poteſt ſalvari.

Particularia fidei a parte hominis ſunt. I. Quod Deus ſit unus, in Quo eſt Divina Trinitas, & quod Ille ſit Dominus Deus Salvator Jeſus Chriſtus. II. Quod Fides Salvifica ſit credere in Ipſum. III. Quod fugienda ſint mala, quia ſunt diaboli & a diabolo. IV. Quod facienda ſint bona, quia ſunt Dei & a Deo. V. Et quod hæc facienda ſint ab homine ut ab ipſo, at quod credendum ſit, quod ſint a Domino apud illum & per illum. Duo priora ſunt Fidei, duo poſteriora ſunt Charitatis; & quintum eſt Conjunctionis charitatis & fidei, ita Domini & hominis. Conſule etiam de his ſupra n. 44.

## SEQUUNTUR TRIA MEMORABILIA EX APOCALYPSI REVELATA DESUMPTA.

118. PRIMUM MEMORABILE. Quando in Explicatione Capitis XX^mi Apocalypſios eram, & meditabar de Dracone, Beſtia, & Pſeudopropheta, apparuit mihi quidam Spiritus angelicus, & quæſivit, quid meditaris, & dixi quod de Pſeudopropheta; tunc ille dixit, deducam te ad locum, ubi illi ſunt qui per Pſeudoprophetam intelliguntur; dixit, quod iidem ſint, qui Capite XIII intelliguntur per Beſtiam ex Terra, quæ habebat duo cornua ſimilia Agno, & loquuta eſt ſicut Draco. Sequutus ſum illum, & ecce vidi turbam, in cujus medio erant Antiſtites Eccleſiæ, qui docuerunt, quod nihil hominem ſalvet quam Fides in meritum Chriſti, & quod Opera ſint bona, ſed non ad ſalutem; & quod uſque docenda ſint ex Verbo, ut Laici, imprimis ſimplices, ſtrictius in vinculis obedientiæ erga Magiſtratus teneantur, ac ſicut ex Religione, ita interius, ad Charitatem moralem exercendam adigantur. Et tunc unus ex illis me videns dixit, vis videre noſtrum Fanum, in quo eſt Imago re-

præsentativa nostræ Fidei; accessi, & vidi, & ecce erat magnificum, & in medio ejus imago Mulieris, indutæ veste coccinea, tenentis in dextra Nummum aureum, & in sinistra Catenam ex unionibus: sed erant & Imago & Fanum inducta per phantasiam; possunt enim Spiritus infernales per phantasias repræsentare magnifica, occludendo interiora mentis, & aperiendo solum exteriora ejus. Sed cum animadverti, quod tales præstigiæ essent, oravi ad Dominum; & subito aperta sunt interiora mentis meæ; & tunc vidi loco magnifici Fani Domum rimosam a tecto usque ad imum, in qua nihil cohæsit; & vidi loco Mulieris in Domo illa pendens Simulachrum, cujus Caput erat simile Draconi, Corpus simile Pardo, Pedes sicut Ursi, & Os sicut Leonis; ita prorsus sicut describitur Bestia e mari, Apoc. Cap. XIII: 2; & loco Soli erat Palus in qua multitudo ranarum; & dictum est mihi, quod sub Palude esset Lapis magnus cæsus, sub quo jaceret Verbum penitus reconditum. His visis, dixi ad Præstigiatorem, est hoc Fanum vestrum, & dixit, quod sit; at subito tunc etiam aperiebatur illi visus interior, ex quo vidit similia quæ ego; quibus visis clamavit clamore magno, quid hoc, & unde hoc; & dixi, quod sit ex luce e Cælo, quæ detegit quale cujusvis formæ, & hic quale vestræ Fidei separatæ a Charitate spirituali: & illico flavit Ventus orientalis, & sustulit Fanum cum Imagine, & quoque exsiccabat Paludem, & sic nudabat Lapidem, sub quo jacuit Verbum: & post hæc spiravit Calor sicut vernalis e Cælo, & ecce tunc in eodem loco visum est Tabernaculum, quoad formam externam simplex; & dicebant Angeli, qui apud me erant, ecce Tabernaculum Abrahami, quale id fuit, quando tres Angeli ad illum venerunt, & annuntiarunt de Isaco nascituro; hoc apparet coram oculis simplex, sed usque fit secundum influxum lucis e Cælo magnificum plus & plus; & datum est illis aperire Cælum, in quo erant Angeli spirituales qui in Sapientia sunt; & tunc ex Luce inde influente apparebat Tabernaculum illud sicut Templum simile Hierosolymitano; quod cum introspexi, vidi Lapidem fundi, sub quo Verbum fuerat repostum, circum obsitum lapidibus pretiosis, e quibus sicut fulgur emicuit in parietes, super quibus erant formæ Cheruborum, & pulchre variegavit illos coloribus. Cum hæc admiratus sum, dixerunt Angeli, videbis adhuc mirabilius; & datum est illis aperire Cælum Tertium, in quo erant Angeli cæleſtes, qui in amore sunt; & tunc ex Luce inde influente, totum illud Templum evanuit, & loco ejus visus est Dominus Solus, stans super Lapide fundi, qui erat Verbum, in simili Effigie, in qua visus Johanni Cap. I. Apocal. At quia sanctitas tunc implevit interiora mentis Angelorum, ex qua illis fuit nisus procidendi super facies, subito claudebatur a Domino via lucis e Cælo Tertio, & aperiebatur via lucis e Cælo Secundo, ex quo rediit aspectus prior Templi, & quoque Tabernaculi, sed in Templo. Ex his illustratum est, quid intelligitur in Cap. XXI. Apoc. per hoc, „*Ecce Tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum illis*, Vers. 3; & per hoc „*Templum non vidi in Nova Hierosolyma, quia Dominus Deus Omnipotens Templum ejus, & Agnus*, Vers. 22.

II) Secundum Memorabile ex Apocalypsi Revelata. Quondam expergefactus e somno incidi in profundam meditationem de Deo: & cum suspexi,

pexi, vidi ſupra me in Cælo Lucem candidiſſimam in forma ovali; & cum fixi intuitum in Luce illa, recedebat Lux ad latera, & intrabat in peripherias, & tunc ecce patuit mihi Cælum, & vidi aliqua magnifica, & Angelos ſtantes in forma Circi a latere meridionali Aperturæ, & loquebantur inter ſe: & quia accendebar deſiderio audiendi quid loquebantur, ideo dabatur mihi primum audire ſonum, qui plenus erat Amore cæleſti, & poſtea loquelam, quæ plena erat Sapientia ex illo amore; loquebantur inter ſe de DEO UNO, & de CONJUNCTIONE CUM IPSO, & inde SALVATIONE: loquebantur ineffabilia, quorum pleraque non poſſunt cadere in voces alicujus Linguæ naturalis; ſed quia aliquoties fuerant in conſortio cum Angelis in ipſo Cælo, & tunc in ſimili loquela cum illis, quia in ſimili ſtatu, ideo potui nunc intelligere illos, & ex ſermone illorum deſumere aliqua, quæ poſſunt expromi vocibus Linguæ naturalis rationaliter. Dicebant quod DIVINUM ESSE SIT UNUM, IDEM, IPSUM, ET INDIVIDUUM, ita quoque Divina Eſſentia, quia Divinum Eſſe eſt Divina Eſſentia, ita quoque Deus, quia Divina Eſſentia quæ etiam eſt Divinum Eſſe, eſt Deus. Hæc illuſtrabant per ideas ſpirituales; dicendo, quod Divinum Eſſe non poſſit cadere in plures, quorum unicuique ſit Divinum Eſſe, & uſque illud eſſe Unum, Idem, Ipſum & Individuum; cogitaret enim quiſque a ſuo Eſſe ex ſe & per ſe, ſi tunc etiam ſimul ex alteris & per alteros unanimiter, forent plures Dii unanimes, & non Deus Unus; nam Unanimitas, quia eſt conſenſus plurium, & ſimul cujusvis ex ſe & per ſe, non concordat cum unitate Dei, ſed cum pluralitate, non dixerunt Deorum, quia non potuerunt, Lux enim Cæli, ex qua erat cogitatio illorum, & in qua ptocedebat ſermo illorum, contranitebatur; dicebant etiam, quod cum vellent enuntiare Deos, & quemlibet ut Perſonam per ſe, cadat conatus enuntiandi illico in Unum, imo in Unicum Deum: his addebant, quod Divinum Eſſe ſit Divinum Eſſe in Se, non a Se, quia a Se ponit Eſſe in Se ab Alio; ita ponit Deum a Deo, quod non datur; quod a Deo eſt, non vocatur Deus, ſed vocatur Divinum; quid enim eſt Deus a Deo, ita quid Deus a Deo natus ab æterno, & quid Deus a Deo per Deum natum ab æterno procedens, niſi voces, quibus ne hilum lucis e Cælo ineſt. Porro dicebant, quod Divinum Eſſe, quod in Se eſt Deus, ſit IDEM, non Idem ſimplex, ſed Infinitum, hoc eſt, Idem ab æterno in æternum; eſt Idem ubivis, ac Idem apud unumquemvis, & in unoquovis, ſed quod omne varium & variabile ſit in recipiente; ſtatus recipientis hoc facit. Quod Divinum Eſſe, quod eſt Deus in Se, ſit IPSUM, ita illuſtrabant; Deus eſt Ipſum, quia eſt Ipſe Amor & Ipſa Sapientia, ſeu quod ſimile, eſt Ipſum Bonum & Ipſum Verum, & inde Ipſa Vita; quæ niſi forent Ipſum in Deo, illa non forent aliquid in Cælo & in Mundo, quia non foret aliquod illorum relativum ad Ipſum; omne quale ſortitur ſuum quale ex eo quod ſit Ipſum ex quo eſt, & ad quod ſe refert ut ſit tale. Hoc Ipſum, quod eſt Eſſe Divinum, non eſt in loco, ſed apud illos & in illis qui ſunt in loco ſecundum receptionem, quoniam de Amore & Sapientia, ſeu de Bono & Vero, & inde Vita, quæ ſunt Ipſum in Deo, imo Ipſe Deus, non prædicari poteſt locus, nec progreſſio e loco in locum, ſed abſque loco, unde Omnipræſentia; quare

dicit Dominus, *Quod sit in medio illorum; tum Ipse in illis, & illi in Ipso.* At quia non recipi ab ullo potest qualis in Se est, apparet qualis in Se est, ut Sol supra Cœlos angelicos, a quo procedens ut Lux est Ipse quoad Sapientiam, ac ut Calor est Ipse quoad Amorem; Ipse non est Sol ille, sed Divinus Amor & Divina Sapientia exiens ab Ipso proxime, circum circa Ipsum, coram Angelis apparent ut Sol; Ipse in Sole est Homo, est DOMINUS NOSTER JESUS CHRISTUS, tam quoad Divinum a Quo, quam quoad Divinum Humanum; quoniam Ipsum, quod est Ipse Amor & Ipsa Sapientia, fuit Anima Ipsi a Patre, ita Divina Vita, quæ est Vita in se; aliter in unoquovis homine, in illo anima non est vita, sed recipiens vitæ: Dominus etiam hoc docet, dicendo „ *Ego sum Via, Veritas &* VITA; & alibi „ *Quemadmodum Pater habet* VITAM *in Se Ipso, ita etiam dedit Filio* VITAM *habere in Se Ipso*; Vita in Se Ipso est Deus, His addiderunt, quod illi, qui in aliqua Luce Spirituali sunt, ex his possint percipere, quod Divinum Esse, quod etiam est Divina Essentia, quia est Unum, Idem, Ipsum, & inde Individuum, non possit dari in pluribus; & quod si diceretur dari, forent manifestæ Contradictiones in adjectis.

His auditis, perceperunt Angeli in cogitatione mea ideas communes Ecclesiæ Christianæ de Personarum Trinitate in Unitate, & illarum Unitate in Trinitate de Deo; tum etiam de Nativitate Filii Dei ab æterno: & tunc dixerunt, quid cogitas, cogitasne illa ex Lyce naturali, cum qua Lux nostra spiritualis non concordat; quare nisi removes illius cogitationis ideas, claudimus tibi Cælum, & abimus. Sed tunc dixi illis, intrate, quæso, penitius in cogitationem meam, & forte videbitis concordantiam; & fecerunt ita, & viderunt, quod per Tres Personas intelligam Tria Attributa Divina procedentia, quæ sunt CREATIO, REDEMPTIO, & REGENERATIO, &, quod illa Attributa sint Unius Dei; & quod per Nativitatem Filii Dei ab æterno, intelligam Nativitatem Ipsius ab æterno prævisam & in tempore provisam. Et tunc narravi, quod naturalis mea cogitatio de Personarum Trinitate & Unitate, & de Nativitate Filii Dei ab æterno, fuerit mihi ex Doctrina fidei Ecclesiæ, quæ ab Athanasio nomen habet; & quod illa Doctrina sit recta, modo pro Trinitate Personarum ibi substituatur Trinitas Personæ, quæ unice datur in DOMINO JESU CHRISTO; & pro Nativitate Filii Dei ab æterno percipiatur Nativitas Ipsius ab æterno prævisa & in tempore provisa, quia quoad Humanum quod suscepit, aperte vocatur FILIUS DEI; tunc dixerunt Angeli, bene, bene; & rogaverunt, ut ex ore illorum dicam, quod si quis non adit Ipsum Deum Cæli & Terræ, non possit in Cælum venire, quia Cælum est Cælum ex unico illo Deo, & quod ILLE DEUS SIT JESUS CHRISTUS, Qui est Jehovah Dominus ab æterno Creator, in tempore Redemptor, ac in æternum Regenerator, ita Qui simul est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; & quod hoc sit Evangelium, quod prædicandum est. Post hæc Lux cælestis prius visa super aperturam rediit, & successive se inde demisit, ac implevit interiora mentis meæ, ac illustravit ideas meas de Unitate & Trinitate Dei, & vidi tunc ideas de illis initio captas, quæ fuerant mere naturales, separatas, sicut separantur paleæ a tritico ex ventilabro agitato, & ablatas sicut vento in septentrionem Cæli, & disparatas.

120.

" 10c. TERTIUM MEMORABILE EX APOCALYPSI REVELATA. Quoniam à Domino datum eſt mihi videre Mirabilia, quæ in Cælis & ſub Cælis ſunt, ex mandato me oportet memorare quod viſum eſt. Viſum eſt Palatium magnificum, & in ejus intimo Templum; in medio hujus erat Menſa ex auro, ſuper qua erat Verbum, cui adſtabant bini Angeli: circum illam erant Solia in triplici ordine; Solia primi ordinis erant obtecta panno holoſerico purpurei coloris; Solia Secundi ordinis panno holoſerico cærulei coloris; & Solia tertii ordinis panno albo. Sub tecto alte ſupra Menſam apparuit Aulæum expanſum, fulgens ex lapidibus pretioſis, e quorum ſplendore effulſit ſicut Iris cum ſerenatur Cælum poſt pluviam. Subito tunc viſi ſunt totidem ex Clero ſedentes ſuper Soliis, omnes induti veſte Miniſterii ſacerdotalis. Ad unum latus erat Cimeliarchium, ubi ſtetit Angelus cuſtos, & inibi in pulchro ordine jacebant Veſtes ſplendidæ. Erat CONCILIUM CONVOCATUM A DOMINO; & audivi vocem e Cælo dicentem, DELIBERATE; ſed dicebant, de qua re, dictum eſt de DOMINO SALVATORE, & de SPIRITU SANCTO. At cum de illis cogitabant, non erant in illuſtratione, quare ſupplicabant; & tunc Lux defluxit e Cælo, quæ primum illuminabat Occipitia illorum, & poſtea Tempora, & demum Facies illorum; & tunc inchoabant; ac ut mandatum eſt, Primum de DOMINO SALVATORE: & Propoſitio ac Ventilatio Prima fuit, QUIS ASSUMSIT HUMANUM IN MARIA VIRGINE: & Angelus ſtans ad Menſam, ſuper qua erat Verbum, legit coram illis hæc apud Lucam „ *Angelus dixit ad Mariam, ecce concipies in Utero, & paries Filium, & vocabis Nomen ejus* JESUM: *Hic erit Magnus, &* FILIUS ALTISSIMI *vocabitur.* Et *Maria dixit ad Angelum, quomodo fiet hoc, quoniam virum non cognoſco: & reſpondens Angelus dixit,* SPIRITUS SANCTUS VENIET SUPER TE, ET VIRTUS ALTISSIMI OBUMBRABIT TE, *unde quod naſcitur ex te* SANCTUM, *vocabitur* FILIUS DEI, Cap. I: Verſ. 31, 32, 34, 35: Tum etiam quæ apud Matthæum Cap. I: Verſ 20 ad 25, & quæ ibi in Verſu 25, legit voce alta: præter hæc legit plura ex Evangeliſtis, ut Matth. III: 17. & Matth. XVII: 5, Joh XX: 31. & alibi, ubi Dominus quoad Humanum ſuum vocatur FILIUS DEI, & ubi Ipſe ex Humano ſuo Jehovam vocat PATREM SUUM: ut & ex Prophetis, ubi prædicitur, quod Ipſe Jehovah in Mundum venturus eſſet; inter quæ etiam hæc duo; apud Eſajam „ *Dicetur in die illo, ecce* DEUS NOSTER HIC, *Quem exſpectavimus ut liberet nos;* HIC JEHOVAH *Quem exſpectavimus, exultemus & lætemur in Salute Ipſius*" XXV: 9. *Vox clamantis in deſerto, parate viam* JEHOVÆ, *complanate in ſolitudine ſemitam* DEO NOSTRO; *revelabitur enim gloria* JEHOVÆ, *& videbunt omnis caro ſimul: ecce* DOMINUS JEHOVIH IN FORTI VENIT; *ſicut Paſtor gregem ſuum paſcet;* Eſaj. XL: 3, 5, 10, 11. Et Angelus dixit, quoniam Ipſe Jehovah in Mundum venit, & aſſumſit Humanum, & per id Redemit & Salvavit homines, ideo Ipſe apud Prophetas vocatur SALVATOR & REDEMPTOR; & tunc coram illis legit hæc ſequentia „ *Tantummodo inter te* DEUS, & PRÆTEREA NON DEUS, *profecto Tu* DEUS *occultus,* DEUS ISRAELIS SALVATOR, Eſaj. XLV: 14, 15. *Nonne* EGO JEHOVAH ET NON AMPLIUS DEUS PRÆTER ME, *Deus juſtus, &* SALVATOR PRÆTER ME, Eſaj. XLV: 21, 22. EGO JEHOVAH ET NON PRÆ-

TER

TER ME SALVATOR, Eſaj. XLIII: 11. *Ego Jehovah Deus tuus, & Deum præter Me non agnoſces, &* SALVATOR NON PRÆTER ME, Hoſch. XIII: 4. *Ut ſciat omnis caro, quod Ego* JEHOVAH SALVATOR TUUS ET REDEMPTOR TUUS, Eſaj. XLIX: 26. Cap. LX: 16. QUOD AD REDEMPTOREM NOSTRUM, JEHOVAH ZEBAOTH NOMEN IPSIUS, Eſaj. XLVII: 4. REDEMPTOR EORUM, FORTIS JEHOVAH ZEBAOTH NOMEN IPSIUS, Jerem. L: 34. JEHOVAH PETRA MEA ET REDEMPTOR MEUS, Pſalm XIX: 15. *Sic dixit* JEHOVAH REDEMPTOR TUUS, *Sanctus Iſraelis, Ego* JEHOVAH DEUS TUUS, Eſaj. XLVIII: 17. Cap. XLIII: 24. Cap. XLIX: 7. Cap. LIV: 8. *Tu Jehovah Pater noſter;* REDEMPTOR NOSTER *a ſæculo Nomen tuum*, Eſaj. LXIII: 16. *Sic dixit* JEHOVAH, REDEMPTOR TUUS EGO JEHOVAH *faciens omnia, & Solus a Me Ipſo*, Eſaj. XLIV: 24. *Sic dixit Jehovah Rex Iſraëlis, &* REDEMPTOR EJUS JEHOVAH ZEBAOTH, *Ego Primus & Ultimus, & præter Me non Deus*, Eſaj. XLIV: 6. *Jehovah Zebaoth Nomen Ipſius, &* REDEMPTOR TUUS, *Sanctus Iſraelis*, DEUS TOTIUS TERRÆ VOCABITUR, Eſaj. LIV: 5. *Ecce dies venient, cum ſuſcitabo Davidi germen juſtum, qui regnabit Rex, & hoc Nomen Ipſius*, JEHOVAH JUSTITIA NOSTRA, Jerem. XXIII: 5, 6. Cap. XXXIII: 15, 16. *In die illo erit Jehovah in Regem ſuper totam Terram;* IN DIE ILLO ERIT JEHOVAH UNUS, ET NOMEN IPSIUS UNUM, Sach. XIV: 9. Ex his & illis ſedentes ſuper ſoliis confirmati unanimiter dixerunt, quod Ipſe Jehovah aſſumſerit Humanum ad redimendum & ſalvandum homines. Sed tunc audita eſt vox ex Romano Catholicis, qui occultaverant ſe poſt Altare, dicens, quomodo poteſt Jehovah Pater Homo fieri, eſtne Creator univerſi; & convertit ſe unus ex Sedentibus ſuper ſoliis ſecundi ordinis, & dixit, Quis tunc; & ille poſt Altare tunc ſtans juxta Altare reſpondit, FILIUS AB ÆTERNO; ſed reſponſum tulit, eſtne Filius ab æterno ſecundum veſtram Confeſſionem etiam Creator univerſi; & quid Filius aut Deus natus ab æterno; & quomodo poteſt Divina Eſſentia, quæ eſt Una & Individua, ſeparari, ac unum ejus deſcendere, & non ſimul Totum. ALTERA VENTILATIO DE DOMINO ERAT, Annon ſic Pater & Ipſe unum ſunt, ſicut Anima & Corpus unum ſunt; dixerunt, quod hoc conſequens ſit, quia a Patre eſt Anima. Tunc unus ex illis, qui ſedebant ſuper ſoliis in tertio ordine, legebat ex Symbolica Fide, quæ Athanaſiana vocatur, hæc „ *Tametſi noſter Dominus Jeſus Chriſtus Filius Dei eſt Deus & Homo, uſque non ſunt duo, ſed eſt unus Chriſtus, imo eſt prorſus Unus, eſt* UNA PERSONA; QUONIAM SICUT ANIMA ET CORPUS FACIUNT UNUM HOMINEM, ITA DEUS ET HOMO EST UNUS CHRISTUS: dixit Legens, quod hæc Fides recepta ſit in Univerſo Chriſtiano Orbe, etiam a Romano-Catholicis: & dixerunt, quid pluribus opus eſt, ſunt Deus Pater & Ipſe unum, ſicut Anima & Corpus unum ſunt: & dixerunt, quia ita eſt, videmus quod Humanum Domini ſit Divinum, quia eſt Humanum Jehovæ; tum quod Dominus quoad Divinum Humanum adeundus ſit, & quod ſic & non aliter adiri poſſit Divinum quod Pater vocatur. Hoc illorum Concluſum confirmavit Angelus per plura ex Verbo, inter quæ fuerunt hæc; apud Eſajam „ *Puer natus eſt nobis, Filius datus eſt nobis, Cujus Nomen, Mirabilis, Conſiliarius*, DEUS, *Heros*, PATER ÆTERNITATIS, *Princeps*

*ceps pacis*, IX: 5. apud Eundem „ *Abraham non cognoscit nos, & Israël non agnoscit nos*, Tu Jehovah Pater noster, Redemptor noster a sæculo Nomen tuum, LXIII: 16. Et apud Johannem „ Jesus dixit, *qui credit in Me, credit in Ipsum qui misit Me, & qui* videt Me, videt Ipsum, *Qui* misit Me, Joh. XII: 44, 45. *Dixit Philippus ad Jesum, monstra nobis Patrem, dicit illi Jesus*, qui vidit Me vidit Patrem, *quomodo ergo tu dicis, monstra nobis Patrem, nonne credis quod* Ego in Patre et Pater in Me; credite Mihi quod Ego in Patre, et Pater in Me, Joh. XIV: 8, 9. *Jesus dixit*, Ego et Pater unum sumus, Joh. X: 30. Tum, Omnia quæ Pater habet Mea sunt, et omnia Mea Patris, Joh. XVI: 15. Cap. XVII: 10. demum, *Jesus dixit*, Ego sum Via, Veritas, et Vita, nemo venit ad Patrem nisi per Me, Cap XIV: 6. His auditis, dixerunt omnes uno ore & corde, quod Humanum Domini sit Divinum, & quod Hoc adeundum sit, ut adeatur Pater; quoniam Jehovah Deus, Qui est Dominus ab æterno, per Illud se misit in Mundum, & se fecit visibilem oculis hominum, & sic accessibilem: pariter fecit se visibilem & sic accessibilem in Forma Humana Antiquis, sed tunc per Angelum.

Post hæc sequebatur Deliberatio de Spiritu Sancto: & primum detecta est plurium idea de Deo Patre, Filio, et Spiritu Sancto, quæ erat, sicut Deus Pater sederet in alto, & Filius ad dextram Ejus, & a se emitterent Spiritum Sanctum ad illustrandum & docendum homines. At tunc audita est vox e Cælo, dicens, non sustinemus illam cogitationis ideam; quis non scit, quod Jehovah Deus sit Omnipræsens; qui hoc scit & agnoscit, etiam agnoscet; quod Ipse illustret & doceat, & quod non sit Deus medians, distinctus ab Ipso, & minus a duobus, ut Persona a Persona; quare removeatur prior idea, quæ est vana, & recipiatur hæc, quæ est justa, & videbitis hoc clare. Sed tunc iterum audita est vox a Romano Catholicis, qui se post Altare Templi occultaverant, dicens, quid tunc est Spiritus Sanctus, qui in Verbo nominatur apud Evangelistas, & apud Paulum, a Quo tot docti e Clero, imprimis a nostro, se dicunt duci; quis hodie in Christiano Orbe Spiritum Sanctum, & ejus operationes negat: ad hæc convertit se unus ex illis qui super soliis secundi ordinis sedebant, & dixit; vos dicitis quod Spiritus Sanctus sit Persona per se, & Deus per se; sed quid est persona exiens & procedens a persona, nisi operatio exiens & procedens; non potest una persona ex altera per alteram exire & procedere, sed operatio potest; aut quid est Deus exiens & procedens a Deo, nisi Divinum exiens & procedens, non potest unus Deus ab altero per alterum exire & procedere, sed Divinum potest: estne Divina Essentia una & individua, & quia Divina Essentia, seu Divinum Esse est Deus, estne Deus unus & individuus. His auditis sedentes super soliis unanimiter concluserunt, quod Spiritus Sanctus non sit Persona per se, ita nec Deus per se, sed quod sit Sanctum Divinum exiens & procedens ex Unico Deo Omnipræsente, Qui est Dominus. Ad hæc dixerunt Angeli stantes ad Mensam auream, super qua erat Verbum, Bena; non legitur ubi-

bi in Veteri Fœdere, quod Prophetæ loquuti ſint Verbum ex Spiritu Sancto, ſed ex Jehovah Domino; & ubi in Novo Fœdere dicitur Spiritus Sanctus, intelligitur Divinum procedens, quod eſt Divinum illuſtrans, docens, vivificans, reformans & regenerans. Poſt hæc ſucceſſit altera Ventilatio de SPIRITU SANCTO, quæ erat, a Quo procedit Divinum, quod vocatur Spiritus Sanctus, num ex Divino quod Pater vocatur, vel ex Divino Humano quod Filius: & cum hoc ventilabant, affulſit Lux e Cælo, ex qua viderunt, quod Sanctum Divinum, quod intelligitur per Spiritum Sanctum, procedat ex Divino in Domino per Ipſius Humanum glorificatum, quod eſt Divinum Humanum; comparative ſicut omne Activum procedit ex Anima per Corpus apud hominem. Hoc Angelus ſtans ad Menſam confirmavit per hæc „ *Ille, Quem miſit Pater, verba Dei loquitur,* NON EX MENSURA DEDIT ILLI SPIRITUM; *Pater amat Filium, & omnia dedit in manum Ipſius*, Joh. III: 34, 35. *Exibit virga de trunco Iiſhaji, quieſcet ſuper Ipſo* SPIRITUS JEHOVÆ, SPIRITUS SAPIENTIÆ ET INTELLIGENTIÆ, SPIRITUS CONSILII ET VIRTUTIS, Eſaj. XI: 1, 2. *Quod* SPIRITUS JEHOVÆ *datus ſit ſuper Illum, & quod eſſet in Illo*, Eſaj. XLII: 1. Cap. LIX: 19, 20. Cap. LXI: 1. Luc. IV: 18. *Quando venerit* SPIRITUS SANCTUS, *Quem Ego miſſurus ſum vobis a Patre*, Joh. XV: 26; *Ille Me glorificabit, quia* EX MEO *accipiet, & annuntiabit vobis; omnia quæcunque Pater habet, Mea ſunt, propter hoc dixi, quod* EX MEO *accepturus ſit, & annuntiaturus vobis*, Joh. XVI: 14, 15. *Si abivero, mittam Paracletum ad vos*, Joh. XVI: 7. *Paracletus eſt* SPIRITUS SANCTUS, Joh. XIV: 26. NONDUM ERAT SPIRITUS SANCTUS, QUIA JESUS NONDUM GLORIFICATUS ERAT, Joh. VII: 39; Poſt Glorificationem autem, *Jeſus inſpiravit, & dixit Diſcipulis,* ACCIPITE SPIRITUM SANCTUM, Joh. XX: 22. & in Apocalypſi, *Quis non glorificet Nomen tuum, Domine, quia* SOLUS SANCTUS ES, Cap. XV: 4. Quoniam Divina Operatio Domini ex Divina Omnipræſentia Ipſius per Spiritum Sanctum intelligitur, ideo cum ad Diſcipulos loquutus eſt de Spiritu Sancto, Quem a Deo Patre miſſurus eſt, etiam dicit, *Non relinquam vos orphanos,* ABEO ET VENIO AD VOS; *& in die illo cognoſcetis, quod Ego in Patre meo, & vos in Me, & Ego in vobis*, Joh. XIV: 18, 20, 28; & mox antequam abivit e Mundo, dixit, *Ecce Ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad Conſummationem ſæculi*, Matth. XXVIII: 20. His coram illis lectis, dixit Angelus, ex his & pluribus aliis ex Verbo, patet, quod Divinum, quod vocatur Spiritus Sanctus, procedat ex Divino in Domino per Divinum Humanum Ipſius. Ad hæc ſedentes ſuper ſoliis dixerunt, Hoc eſt DIVINA VERITAS.

Demum factum eſt Decretum, hoc: Quod ex deliberatis in hoc Concilio clare viderimus, & inde pro Sancta Veritate agnoſcamus, quod in Domino Deo Salvatore Jeſu Chriſto ſit Divina Trinitas, quæ eſt, Divinum a Quo quod vocatur Pater, Divinum Humanum quod eſt Filius, & Divinum procedens quod eſt Spiritus Sanctus: conclamantes, *Quod* IN JESU CHRISTO OMNIS PLENITUDO DIVINITATIS HABITET CORPORALITER, Coloſſ. II: 9. Ita eſt Unus Deus in Eccleſia.

Poſt-

Poſtquam hæc in Magnifico illo Concilio concluſa ſunt, ſurrexerunt, & venit Angelus cuſtos ex Cimeliarchio, & apportabat cuivis ex illis, qui ſuper ſoliis conſederunt, Veſtes ſplendidas, hic & ibi intertextas filis aureis, & dixit, accipite VESTES NUPTIALES. Et deducti ſunt in gloria in Novum Cælum Chriſtianum, cum quo Eccleſia Domini in Terris, quæ eſt Nova Hieroſolyma, conjuncta erit.

## SACHAR: Cap. XIV: Verſ. 7, 8, 9.

*Erit Dies unus qui notus eſt* JEHOVÆ, *non Dies nec Nox, quia circa tempus Veſperæ erit Lux. Fiet in Die illo, exibunt Aquæ vivæ ex Hieroſolyma: Et* JEHOVAH *erit in Regem ſuper totam Terram: in Die illo erit* JEHOVAH *Unus, & Nomen Ipſius Unum.*

FINIS.

BIBLIOTHECA·BODLEIANA